




Experientia mihi perspectum est
digitos manus respondere substantiis
etiam in corporis ex illorum superiorum
similitudine de conjunctis obnoxios
plerosque coelestibus assertis atque etiam
ex astrorum constitutione danda ex
astrologiis [illegible] communissime lunariis
[illegible] ga [illegible] dominatur, atque etiam
[illegible] in themate natalitio valere
assertis [illegible] casu cognitis [illegible]
ex [illegible] [illegible] de digitis [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] plurimis fore,
[illegible] [illegible] [illegible] quod [illegible]
[illegible] habui; sic [illegible]
superiis et inferiis, quod [illegible]
et sit manifestum [illegible]
[illegible] [illegible] digitorum [illegible]
[illegible] paucis [illegible], sed totum nobis
[illegible] magiam et [illegible]
et Kabbalam; [illegible] quisque [illegible]
casu hoc proprio animo
[illegible] [illegible] [illegible], potius
[illegible] [illegible] digitos singulatim
respondere quibusdam [illegible]
[illegible], [illegible] Modestum
[illegible] [illegible] [illegible] experior,
[illegible] ego [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
minimus digitus [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]

Animalia duo domestica
viri et mulieris, ~~[illegible]~~
canis et felis
utrique
in omnibus communia
intro et foras
per
superiora et inferiora
in
animo et corpore
2. post 1
mundana et humana
2 a 1
Pulchro et animo

~~hoc~~

~~[illegible]~~

astrum a gesta ab
astris a stellis corporis
a qualitatibus, a stellis
ab [illegible], [illegible]
[illegible], ab [illegible]
occultandis in [illegible], [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] occultanda
ab [illegible] [illegible] ~~[illegible]~~ ab
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible], ab [illegible] quibus
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
ab [illegible] [illegible]

Sta ego [illegible] Polsze maią
dobrą [illegible], [illegible] Medicus
Z. [illegible] dowodzi, [illegible]
ut Medicus [illegible] [illegible]
Q. [illegible] dobr[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] D. Medi[illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible].

CHIROMANTIÆ

Theorica
Practica
Concordantia genethliaca, Vetuſtis novitate addita,

41.
Ex libris Stae Genovefae Parisiensis. 1753.

AVTORE
Joanne Rothmanno Med. & Philoſ.

Jobi 37. 7.

Math. Perot

Qui in manu omnium hominum ſigna poſuit, ut cognoſcerent opera eius ſinguli.



ERPHORDIAE
Excudebat, Ioannes Piſtorius, Anno 595.



CLARISSIMIS ET AMPLISS. VIRIS,

Dn. D. GVVIELIHELMO VACHÆO,
Dn. D. ABRAHAMO FABRO,
Dn. M. HEINRICO VVEISBACH, I. CONS.
& Ampliss. Reip. Erphordianæ à Consilijs.
Dn. IOANNI LEONHARDO, CIVI ERPHOR:
Dominis & amicis suis plurimum observandis
S. P. D.

Joannes Rothmannus Anhaltinus D.



Es creatas quaslibet, Viri clarissimi, signaturis suis ornavit DEVS in principio, ut in earum natura & ingenio indagando mens hominis ingenui sese oblectaret, atq; hinc mirabilia Dei opera confidenter cognoscens, inq; usum rectè convertens, ad DEVM ipsum amandum ac toto pectore celebrandum, ob hanc eius immensam sapientiam ac bonitatem, alacriter compellaretur. Inspiciamus cœlum, stellas ac signa cœlestia: inspiciamus animalia in terris, plantas deniq;, stirpes, lapides, metalla &c. Mirum quàm variæ hîc signaturæ sese dent nobis obviã, naturam ingeniumvè cuiuslibet tacito sermone proferentes. Vt septem erraticæ stellæ, quos planetas vulgò nominant, non magnitudine solum motuq; longè variant, sed luminis etiam splendore: Ita diversa singulis inest influentia, seu Spiritus vividus perennis, pro diverso situ

in cœlis, proq; diversis radiorum, ab alijs accurrentium, complicationibus ac mixturis, hæc inferiora variè disponens, movens, animans, producens, signans, sustentans. Agnoverunt prisci Philosophi, agnoscimus & nos libenter, & in infimis suprema, & in supremis infima: In cœlo quidem terrena, secundum causam, modoq; cœlesti: In terris verò cœlestia, sed modo terreno: Vnde in terra intueri quidem licet solem, lunam ac cæteras stellas, sed pro qualitate terrena: In cœlo autem plantas, lapides, metalla &c. pro cœlesti natura, vitam habentia intellectualem. Quo factum est, ut varijs quoq; imaginibus cœlum ipsum á priscis sanctisq; patribus depingeretur: quiq; hæc sacra mundi arcana ingenio complexus erat, apud Hebræos quidem Rabbi, apud Latinos vero Magister nuncupabatur. Sed apud alias gentes feré universas, ille ipse Magus dicebatur. Hodie magiæ nomen adeó suspectum est odiosumq;, ut vel ipso Euangelio prius sibi homines interdicant, quam illud nomen in gratiam recipiant. Tam pertinacis supercilij censores hoc seculum progenuit, tantum ingenio proprio tribuentes, uti primo intuitu huius mundi arcana immensi, se statim percepisse, sibi persuadeant.

Sed de cœlestibus perpauca exempla videbimus. Serpentarij imago naturam habet serpentis, hoc est veneno necem infert, quoties genituræ dominus, aut Luna ipsa infeliciter ibi hæret nativitatis tempore. Idem de Scorpio censendum; sed & eædem imagines abigunt necantq; Serpentes ac Scorpiones, araneas, muscas; propulsant venena, pestem: Quoties eas de cœlo deduxeris in chaos terrenum, tempore observato. Animosos reddit Leo: Virgo dociles: Taurus robustos. Honores conciliat Aquila: Lyra Musices ac Poëseos studium instillat: Sagittarius venationibus reddit addictos, & quæ sunt huiusmodi plura, signaturis proprijs insignita: De quibus philosophari ulterius, non est huius loci.

Animalia veró in terris si consideramus, quale unumquodq; ingenium

nium referat: ex illorum effigie, hoc est, vultu, voce, gressu, ac vestitus sæpé colore, ut plurimum cognoscimus. Equus gressibus suis superbiam propriam prodit: Asinus tarditatem: Leo facie & gressu animositatem: Vrsus ferociam: Gallus & voce & gressu alacritatem: similia cuilibet non stultissimo ubiq; sunt obvia. Ex inspectione formæ externæ in bestijs, exorta est physiognomia in homine, ut cuius bestiæ faciem moresq; homo præ se ferret, eiusdem quoq; ingenium ac natura in illo sit depræhensa.

Ad plantas descendamus ac stirpes: Ibi theatrum quoddam contemplandarum signaturarum ingredimur. Exempla adduco. Solatrum Vesicatorium (Alkakengi Barbaris dicitur) baccas suas succi plenas, lapillosis granis refertas, follicula claudit: tacito hoc quasi sermone nobis significans, vim in eo residere expurgandi vesicam ac tartarum lapidemq; in ea comminuendi. Chelidonia non solum sanguinis madore rubet, inficitq; contrectantem: sed in radice sinus quoq; illa ostendit, ad similitudinem sinuum in humano corde efformatorum clarissimé: Indicat, efficaciam eius esse ad expurgandum sanguinem, ad illustrandum vitalem spiritum, atq; ipsum cor á venenorum injuria liberandum. Cynosbatus, uti quoq; Mespylus, ventrem lapillis replet, lapidem in vesica confringentibus. Carduus manus admotas spinis lædit: sed in corpore humano eius arcanum (astrum alij tale quippiam appellare solent) punctiones consumit abigitq;. Numulariæ folia epiglottida referunt, faucium inflammationibus sanandis dicata: vulgus prunellam nominat. Nux juglans & moscata, cerebri capitisq; compaginem facie ostendit: Proinde cerebro ac capiti studet utraq;. Orchis testiculos exhibet pro radice: Hinc venerem excitari ab ea, judicemus. Notissimum est, quid Hypericon, quid Persicaria efficiat, respondente propria signatura. Sexcenta alia huiusmodi enumerari possunt in

 floribus


floribus, seminibus, folijs, radicibus. In herbis, minus odore dotatis, signaturæ hæ manifestius habentur: Odoratiores per olfactum nobis vel cœcis vim suam produnt. In arborum quoq; folijs, corticibus, lignis, radicibus, talia signa conspiciuntur, occultam virtutem, humanis usibus seu morborum medelis accommodatam, manifestantia. Idem cernere est in Lapidibus ac Metallis.

Hæc si tám clarissima sunt in stellis ac cœli signis, si in animalibus, in plantis, stirpibus, lapidibus, metallis: quis negabit, obsecro, signa ipsa eiusmodi in hominis manu esse ociosa ac vana? Homo est ille, propter quem condita sunt omnia, & in quo cuncta maioris mundi sunt recondita, facie tamen occultiori. Solus ille hoc honore gaudet, quod cum omnibus in universo habeat symbolum, operationem, conversationem. Symbolizat, ut ita dixerim, cum materia in proprio subiecto: cum elementis in quadrifaria corporis compagine: cum plantis in vegetativa virtute: cum animalibus cæteris, in sensitiva: cum cœlis, in sidereo Spiritu, hoc est, in motu atq; influxu partium superiorum in inferiores; cum Angelis, in intellectu, sapientia, loquela: cum Deo in omnium continentia ac potestate. Signa igitur in hominis manu, varié adumbrata, nequaquam frustanea iudicemus, sed à Natura ipsa esse in manibus reposita, uti vel hinc etiam opera Dei inscrutabilia nobis aliquomodo innotescerent, si Iobo Cap. 37. credimus.

Horum signorum explicatio Chiromantia nuncupata est: de qua tum prisci tum moderni Philosophi canones non paucos adnotarunt; non autem qui omnes incisuras manuum etiam minutissimas, in universum enuclearent: Quoniam id ab humano ingenio remotum est. Ego itidem, Viri clariss. rei pulchritudine motus, canones Chiromantiæ præcipuos conscripsi, contractim tamen, methodico quodam discursu: aliquos adijciens à me observatos brevi tempore: Tum praxin quoq;

adiunxi,

adjunxi, atq; astrologicam concordantiam in genituris ipsis: Quam ipsam eruditiores, meo quidem judicio, non leviter laudabunt. Alij hactenus manus tubercula & montes Planetis quidem assignarunt, alicubi etiam discrepante sententia: addentes, ut quam quisq; erraticam excellentiori favore adipisceretur genituræ hora, eius characteres ac signa in proprio monte ac regione, esse illustriora: Sed qui vivis exemplis negotium comprobasset, scio tamen neminem: id quod citra arrogantiam dictum velim. Quocirca ipsemet illud ipsum tento, tentatum convenire video; probo; profero aliquot exempla ac publici juris facio, utinam stylo elegantiori. Vobis, Viri clarissimi, hoc opusculum offero ac dedico, quod sciam, vos tales esse harum rerum censores, quales exoptare soleo, hoc est, sobrios ac peritos: Quo nomine verbosiorem commendationem laboris mei adhibiti, penitus supprimo. Benevolo animo ut & hæc ipsa recipiatis, & me quoq; complectamini, vos officiose rogo. Rectissimé valete, Erphordiæ Mense Febr. Anno ultimi temporis M. D. XCV.



M. Manilius in Procœmio ad Aug. Cæs:

Postquam omnis cœli species, redeuntibus astris,
Percepta in proprias sedes, & reddita certis
Fatorum ordinibus sua cuiq; potentia formæ;
Per varios usus, artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam, speculataq; longè,
Deprendit tacitis dominantia legibus astra,
Et totum alterna mundum ratione moveri,
Fatorumq; vices certis discernere signis.

CHIROMANTIÆ

Ratio brevis ac perspicua.


Hiromantia est ratio cognoscendi signa in manu hominis, ac de ijsdem scitè iudicandi scientia.

Tractationis Chiromanticæ duæ sunt primariæ partes: Theorica ac Practica.

Theorica dicitur, quæ considerat partes manus quasi artis ὑποκείμενον ac subjectum.

Sunt autem partes ipsius manus, id est, palmæ extensæ ac manus passæ; I, Vola seu pars interior, in qua cognoscuntur certa atque conspicua methodo lineæ, tubercula, feriens, cavea, Mensa; II, Digiti quinque: Pollex, Index, Medius, annularis, auricularis.

I. LINEÆ.

Sunt incisuræ à Deo & natura formatæ in internæ manus spacijs & distinctionibus; Suntque earum aliæ principales; aliæ minus principales.

Lineæ Principales.

I. καρδιακή, Cardiaca, pollicis montem includit & complectitur, Dicitur etiam Linea Vitæ.

II. Epatica, sive media naturalis, sub radice indicis ab eodem cum cardiaca principio exoriens per mediam manum derivatur.

III. Cephalica seu linea capitis ac cerebri, inferius ex Cardiaca exoriens ad epaticam in figuram triangularem deducitur.

IIII. Thoralis, seu mensalis, seu linea fortunæ, sub monte seu radice digiti minimi exordium sumens indicem versus portenditur.

V. Restricta seu cauda Draconis, linea ea est, quæ manum à brachio



chio secernit ac distingvit, transcursu aut simplici aut duplici. Hæc ipsa τὸ ὑποκείμενον artis determinat: aliàs discriminalis nuncupatur.

Minus Principales lineæ.

Sunt, quæ non omnium manibus insunt, nec cum adsunt, admodum conspicuè enitescunt. Sunt & harum quinque:

I. Via solis à tuberculo annularis recta deorsum in cavitatem manus exaratur.

II. Via lactea, à restricta sursum per ferientem porrigitur.

III. Saturnia per mediam palmæ volam versus tuberculum medij ascendit integra: quæ linea si intercisa ac discreta fuerit, via combusta nuncupabitur.

IIII. Cingulum Veneris, hemicycli figura ab interstitio indicis & medij ad spacium illud, quod est inter annularem & auricularem, circumducitur.

V. Linea Martis seu soror Vitalis, in pollicis eminentia vitali lineæ παράλληλος est.

2. TVBERCVLA.

Tubercula sunt, eminentiores sub digitis musculi.

I.	Est Veneris	in radice	Pollicis.
II.	Iovis	in radice	Indicis.
III.	Saturni	in radice	Medij.
IIII.	Solis	in radice	Annularis.
V.	Mercurij	in radice	Auricularis.

3. FERIENS.

Feriens seu percutiens, à feriendo seu percutiendo nomen habens, pars ea in manu est, quam rebus dandis aut recipiendis obvertimus: Estq; inter Thoralem ac discriminalem sub tuberculo minimi digiti hic mons compræhensus, & Lunæ attribuitur.

4. CAVEA

4. CAVEA.

Cavea, ſpacium illud cavum eſt, in medio manus vola, in qua tres lineæ principales, cardiaca, epatica, cephalica, triangulum conſtituunt. Hæc cavea Marti datur.

5. MENSA.

Menſa interſtitium illud nuncupatur, quod eſt inter thoralem ac mediam naturalem. Id ſpacium Fortunæ datur: Vnde thoralem quidam fortunæ lineam appellant.

VERSVS.

Eſt pollex Veneris; ſed Iupiter indice gaudet:
Saturnus medium; Sol medicumq́ tenet.
Hinc Stilbon mininum: feriente candida Luna
Poſsidet: in cavea Mars ſua caſtra locat.

Illud hic pretereundum non eſt, diſcrepantiam eſſe quandam apud autores, de locis Martis, Veneris ac Mercurij. Quidam pollicis tuberculum Marti dedicant, Mercurio caveam, Veneri minimi regionem. Ego ut facilius me expedirem, cœpi inprimis obſervare homines venereos, id eſt, iocoſos, venuſtos, hilares, agiles, Muſicæ amantes &c. Apud hos pollicis regionem ſignis planè decentibus, pulchrisq; notis ac characteribus inſignitam depræhendi: Idq; non ſine natalitia Veneris luxuria, ſive ſub proprijs prærogativis, in cœli loco competenti, collocatæ; ſive obtutum optabilem alterius erraticæ obtinentis. Idem ſtudium mihi fuit de Mercurio. Relicta eſt igitur Marti cavea.

CHIROMANTIAE PRACTICA.

Practica Chiromantiæ ea eſt, quæ colligit prædictiones probabiles ex lineis, locis planetarum in manu, atq; ex notis paſsim per manum digitosq; collocatis.

Series igitur hæc methodi causa obſervetur.

I	Cardiaca.	XII	Cavea Martis.
II	Epatica.	XIII	Mons Iovis.
III	Cephalica.	XIIII	Mons Saturni
IIII	Thoralis.	XV	Mons Solis.
V	Reſtricta.	XVI	Locus Lunæ.
VI	Via Solis.	XVII	Mons Mercurij.
VII	Via lactea.	XVIII	Menſa ſeu locus fortunæ.
VIII	Via Saturnia.	XIX	Pollex.
IX	Cingulus Veneris.	XX	Index.
X	Via Martis ſivè ſoror Martia.	XXI	Medius.
XI	Mons Veneris.	XXII	Annularis.
		XXIII	Auricularis.

QVÆSTIO.

An ex dextra vel ſiniſtra iudicandum.

Conſtat apud omnes, in alterutra manu, lineas ac reliqua ſigna ſæpiſsimè eſſe manifeſtiora, concinnitateq; ſua magis perſpicua, tàm in maſculo, quam in fœmina. Quæſtio itaq; hinc oritur, an in utroq; ſexu dextra ſit adhibenda, an vero ſiniſtra: Aut num in viro dextra, ut quidam docuére, num in fœmella, ſiniſtra tantum. Reſponſio. Ea manus ad iudicandum introducenda eſt in utroq; ſexu, quæ lineas monſtrat exhibetq; clariſsimas, characterumq; ac ſignorum ſerie abundat: Ita tamen, ut ſubſidio quoq; veniat altera, lineis obſcurior. In ambabus manibus ſi perſpicuè ac concorditer eniteſcunt lineæ, fortunæ ac ſanitatis conſtantiam declarant. Cauſam huius diverſitatis accipe. Qui de die matris ex utero prodijt, planeta maſculo (☉ ♄ ♃ ♂) geniture dominatum obtinente, is in dextra ſigna notabiliora gerit; inprimis aſcendente

cendente quoque signo masculino. Contrarium accidit natis de nocte, planeta fœminino dominante, & eiusdem sexus signo oriente. Ambæ manus si convenerint, necesse est, ut in diurna nativitate planetæ fœminini dominentur, aut mixtura inter masculinos ac fœmininos coincidat: Sic itidem in nocte, ratione contraria: Quæ ipsa diversitas observari debet.

I.

DE LINEA VITÆ.

Hæc etiam Cardiaca & linea cordis dicitur.

I. Ampla ea, vivo colore perspicua, & decenter suis metis producta sine intersectionibus ac punctis, vitam longam ac paucis morbis obnoxiam indicat.

II. Exilis, brevis, obversis lineolis dissecta, coloreque aut livido aut nigro deformata: Virium imbecillitatem, adversam valetudinem, ac vitæ brevitatem videtur præsagire.

III. Si mediæ naturali legitimè coniungitur, atque in angulo parallelis aut parvula cruce insignita fuerit, ingenii bonitatem, naturævè æquabilitatem ostendit.

IIII. Eadem ramos extendens versus mediam naturalem in superiori parte, divitias & honores significat.

V. Eadem ramos extendens versus restrictam, paupertatem notat, domesticorum infidelitatem atque insidias.

VI. In hac linea confusæ lineolæ quasi capillamenta quædam si reperiuntur, morbos designari putato: Infra in prima ætate: juxta caveam in media: Epaticam versus, in ætate declinante.

VII. Eadem disrupta alicubi, periculum vitæ extremum designat ea in ætate, quam locus hiatus ostendit: Annos autem ætatis morbidos ad unguem ferè invenies, si linea hac in LXX partes divisa, ab eius infima parte, iuxta restrictam, inceperis numerationem: quotum numerum incisuræ monstrant, eum pro ætatis annis reserves.

VIII. Solis character, ut pingitur vulgo ab Astrologis, si in hac linea reperitur, alterius oculi amissionem præsagit: Sin bini junctim fuerint reperti characteres eiusmodi, amborum.

IX. Linea quædam è vitali, infra epaticæ vitalisq́ congressum, ad Saturni tuberculum ascendens, hominem designat ἐπιχαιρέκακον, aliarum situ concurrente: Sæpe eo positu morbum Saturnium periculosum indicat, ut pestem, &c. qua in parte vitalem attingit: peius indicium est, si eandem dissecat.

X. Talis vero linea ad annularem è vitali transiens, honores concernit obventuros à muliere splendida sivè Regina aliqua; aut heroinæ alicuius favorem lucrosum.

XI. Linea vitalis crassa in fine supra modum sub indice, laboriosam notat senectam.

XII. Linea quædam per vitalem transiens in Martis caveam, vulnera febresq́ obnunciat, atq́ in peregrinationibus infortunia.

II.

DE EPATICA SEU MEDIA NATURALI.

I. Hæc linea recta, continua, nec obversis lineolis dissecta, optimam valetudinem notat.

II. Si curta fuerit, ac concavum manus non exierit, morbos ac vitæ brevitatem ostendit.

III. Quanto productior erit hæc linea, tantò vitam longiorem pollicetur.

IIII. In fine dissecta per intervenientem lineolam, egestatem in senecta.

V. Si satis amplo spacio distat à vitali, in superiori parte, cordis intemperiem significat, ut palpitationem, syncopen, &c.

VI. Sic etiam formata, prodigalitatem notat, maxime si adest mensæ amplitudo.

VII. Tortuosa, inæqualis, diversi coloris, ac dissecta, epatis malam

lam constitutionem arguit: ac proinde morbos, qui ex epatis debili-
tate proveniunt. Tum sic avaritiam ac naturæ pravitatem ingeniiq́
arguit; præsertim si è regione medij cardiacæ adhæret, triangulum
angustum efficiens.

VIII. Decenter producta ac bene colorata, hilaritatis ac boni in-
genij signum est.

IX. Sororem si habet aliquam, hæreditates pollicetur.

X. Duris quibusdam nodulis continuata, juxta nodorum nu-
merum homicidia vel perpetrata vel perpetranda demonstrat.

XI. In eadem si crux reperiaur è regione medij, mortis vicini-
tatem nunciat.

XII. In furcam bifidam desinens, ferientem versus, pravi ingenij,
hypocrisis, ac morum illaudabilium signum præbet.

XIII. Quando hæc linea tendit ad mensalem, maledicentiæ atq;
invidiæ nota est.

XIIII. Rimam notabilem cum projecerit per vitalem ad montem
Veneris Martisq́ sororem, maximè rubicunda: â latronibus præca-
vendum esse docet: quin hostiles quoq; insidias subindicat.

XV. Hæc etiam nota vehementiorem epatis fervorem á radijs
Martis provenientem insinuat, vnde & vitæ status subinde turbari
solet, quod linea vitalis dissecatur.

XVI Hæc linea hiatum quendam ostendens, ita ut continua ferê
videatur, vitæ genus mutandum vel mutatum docet: sub annulari,
in ætate declinante; sub medio, in virili, &c.

III.

DE CEPHALICA.

I. Hæc linea capitis ac cerebri dicitur: quæ si debita propor-
tione è loco suo exordiens, lineas epatis & cordis triangulari modo
connectit, vivido colore haud deficiente, nullaq́ interveniente inter-
sectione; mirandæ prudentiæ atq; haud vulgaris ingenij fortunæq́
hominem declarat.

2. Quanto

II Quanto autem concinnior fuerit triangulus, tanto felicius temperamentum ingeniumq; cum animositate significat. Obtusus, malam naturæ dispositionem, rudemq; hominem arguit. Si deest prorsus, peiora decernit, puta stultum, prodigum, mendacem, sæpissimè vitæ brevitatem.

III. Angulus superior rectus, nec acutus admodum, optimum cordis temperamentum prædicit: Nimis acutus, præsertim è regione medij vitalem attingens, avaritiam.

IIII. Angulus sinister ad mediam naturalem inferiente, si rectus est, bonitatem intellectus confirmat.

V. Sed linea cephalica in Lunæ montem inæquales & incompositas rimulas proiiciens ad insuetos characteres: in viro cerebri debilitatem ac pericula circa navigationes denunciat; in fœmina vero frequentes animi dolores, atq; in partu labores.

VI. AEquales lineæ sic projectæ, contrarium in utroq; sexu præsagiunt: In Viro videlicet bonam cerebri compaginem, ac felicia navigia: in fœmina hilaritatem, inq; partu felicitatem.

VII. Peculiare est Cephalicæ, si rimam vel stellam conspicuam sursum protendat in Martis caveam, audaciam cum animositate significat: Sin eandem deorsum demittat, furta ac fraudulentiam.

VIII. Caudæ Draconis coniuncta cephalica, notabili concursu: prudentem ac lætam senectam pollicetur.

IX. Eadem in furcam deducta superius, versus locum fortunæ, in rebus gerendis versutiam significat ac calliditatem in bonam malamvè partem.

X. In ipsa furca si reperta fuerit nota, quali pars fortunæ denotatur ab Astrologis, divitias & honores ab ingenio artibusq; provenire existima.

IIII.

DE LINEA THORALI.

I. Hæc linea fortunæ etiam nuncupatur. Dicitur etiam mensalis,

salis, quod mensam in manu constituat. Quæ si longa satis sine incisionibus producitur, membrorum in homine principalium robur debitum, ac constantiam arguit: Brevis, contorta, incisa & discreta, contrarium docet.

II. Infra Saturni montem desinens vanum ac mendacē ostendit.

III. In Iovis montem ramulos proijciens, honores pollicetur.

IIII. Nuda ac simplex eodem in loco, paupertatis atque inopiæ nota est.

V. Montem Iovis prorsus secans, animi crudelitatem portendit iræque magnitudinem.

VI. Inter indicem & medium si rimam projecerit, viro vulnus in capite signat; mulieri in partu periculum.

VII. Tres lineæ ab hac ascendentes directè sursum, ad interstitium medij & indicis tum ad intermedium spacium medij ac medici, & ad interstitium denique medici & auricularis, contentiosum multifariam arguit.

VIII. Vna lineola sola sic ad interstitium medij & annularis deducta, angustias ac labores.

IX. Annexa mediæ naturali, ita ut angulum acutum faciat, angustias ac labores affert.

X. Si deest media naturalis, & thoralis annectitur vitali, capitis truncationem aut lethale vulnus minatur.

XI. Mensali carens omnino, malevolus, contentiosus, parvæ fidei, inconstantis animi ac morum ignobilium homo dijudicatur.

XII. Lineolæ confusæ in mensali repertæ, ægritudines notant: Sub Mercurio in prima ætate: Sub Sole in vita florente: Sub medio, in senecta.

XIII. Puncta quædam in hac ipsa quoties conspiciuntur, robur genitalium, libidinemque exin ardentiusculam monstrant.

V.

DE CAVDA DRACONIS SEV RESTRICTA, LINEISQVE AB EA SVRGENTIBVS.

1. Si

I. Si duplex aut triplex inventa, æquali, recte, ac continuo tractu deducatur, bonam corporis compagem denunciat.

II. Quæ manui propior eſt linea, ſi continua fuerit & boni coloris, divitias promittit.

III. Eadem linea interciſa, tortuoſa ac multum pallida, corporis debilitatem rerumq; egeſtatem notat.

IIII. Crux aut ſtella ſupra reſtrictam, vitæ tranquillitatem in ſenio nunciat.

V. Stella vel ſimplex vel duplex, aut lineæ quædam propè pollicis montem ſi adſunt, á *mulieribus infortunium* infamiamq; concernunt.

VI. Linea quædam à reſtricta Veneris montem pertranſiens, adverſitates præſagit à conſanguineis, vel uxoris gratia.

VII. Linea quædam è media reſtricta ad montem Lunæ extenſa, adverſitates notat inimicitiasq; occultas. Tortuoſa ea ſi fuerit, malum duplicat: quin imo perpetuæ ſervitutis indicium eſt.

VIII. Talis etiam linea ſi clara eſt ac recta, ad Lunæ regionem uſq; protracta, multa decernit itinera terrâ mariq;.

IX. Talis etiam ad indicis montem aſcendens, extra patriam victurum hominem decernit in magna exiſtimatione.

X. Talis etiam ad mediam naturalem uſq; aſcendens, morum integritatem oſtendit, vitæq; longitudinem promovet.

XI. Talis eadem, ſive ſimplex ſive duplex, ad ſolis tuberculum extenſa, inſperatum bonum indicat, magniſq; rebus præficiendum docet.

XII. Eadem ratione ad Mercurij montem abiens illâ, aptum multis rebus oſtendit hominem: Sed Mercurij montem ſi non attingit, ac decurtata circa mediam infraq; Mercurij tuberculum deſinens, loquacem ut plurimum notat ac mendacem ſuſurronemq;.

XIII. Ad Saturni montem directo ductu aſcendens, ſignificat bonam Saturni poſitionem in genitura; cuius decreta paulo poſt ſequentur. Tortuoſa autem tum verſus reſtrictam, tum etiam poſt mediam naturalē inprimis, notat ſubavarū, laborioſum, duriuſculū.

DE

VI.
DE VIA SOLIS.

Hæc integra & æqualiter deducta, ac bene colorata, favorem Magnatum, honoresq; lætos promittit: Dissecta & inæqualis, contrarium & in honoribus adipiscendis varia impedimenta invidiamq; obijcit.

VII.
DE VIA LACTEA.

Hæc bene proportionata ac continua, felices peregrinationes terrâ ac mari nunciat: Cerebriq; insuper bonitatem, mulierum gratiam astipulante Venere, sermonisq; compositionem ac gratiam: Sed secta, distorta, infelicitatem ac mendacia arguit. Integra vero ad auricularem usq; ascendens, magnæ felicitatis argumentum est.

VIII.
DE LINEA SATVRNIA.

I. Plena & integra, ad medium digitum protracta, tum cogitationum profundarum, tum etiam felicium eventuum in consilijs & actionibus argumentum est.

II. Combusta seu deficiens, malum est signum, infortunia multa portendit, nisi aliæ positiones faveant.

III. Recurvata in manus concavo in semicirculum versus ferientem, carcerem notat.

IIII. Linea quædam ê vitali per epaticam ad Saturni tuberculum deducta, si ibi Saturniam attingit, itidem carcerem minatur.

IX.
CINGVLVM VENERIS.

Intemperantiæ ac libidinis nota est tâm in viris quâm in

fœminis: sordidumq; arguit in congressu Venereo, sororem si habet aliquam, hominem impurissimum monstrat, qui etiam consuetudinem cum bestijs non abhorreat. Hoc cingulum dissectum turbatumq; in Saturni, ob libidines damna infamiamq; prædicit.

monte

X.

SOROR VITALIS SEV VIA MARTIS.

Hæc linea quoties apparet, significata cardiacæ auget corroboratq;: Peculiariter veró successum prosperum pollicetur in militia, sit tamen clara ac decenter rubicunda.

Observationes Duæ de Lineis.

I. In omnibus lineis probè observetur earum quantitas, id est, longitudo ac profunditas: Tum qualitas, hoc est, color ac figura seu curva seu recta: Demum actio quoq;, quæ est alias lineas tangere & dissecare: Et passio, quæ est ab alijs tangi & dissecari. Locus demum ac positus diligenter evolvatur.

II. Certum est, lineas ad certa ætatis tempora iam ampliari, iam coarctari; iam iterum pallescere, iam vero rursus florescere ac rubore quodam quasi luxuriare; idq; tam in principalibus, quàm in minus principalibus. Rursus de minus principalibus, ijsq; quæ in planetarum montibus reperiuntur, constat, evanescere iam alias prorsus, iam alias alia facie suboriri.

Causam eius rei depræhendo aliam nullam, quam locorum apheticorum in genituris ipsis varias progressiones, faustas scilicet atq; adversas, quarum influxui homo ipse subiectus mirabiliter, signa illa in manu ipsa, diversis temporibus, diversa facie monstrat. Tanta vis tantusq; AMOR in imaginatione maioris mundi erga microcosmum residet. Idcircò Chiromantiæ studiosus unica in-

spectione,

ſpectione, ad unicum certumq́ ætatis annum, negocium de ſingulis aſſequi non poteſt. Res notatu digniſsima, paucis cognita aut probata.

DE PLANETIS.

Planetæ quoq́ ſuis à locis cenſuram haud levem ſuppeditant: Hi ſi felices ac benevoli ſunt, bona ſignificant: ſin infelices ac contumaces, tunc mala inferunt. Notandum autem, Planetas benevolos feliceſq́ nuncupari eos, in quorum montibus ac locis lineæ conſuetæ, æquales, ac characteres pulchri & proportionati depræhenduntur. Tales ſunt, crux; ſtellæ; lineæ parallelæ tres vel quatuor; ſcalæ; ramuſculi; quadrangulus; Iovis character. Contumaces verò atq; inauſpicati planetæ ſunt, quorum montes ac loca turbatis lineis atq; inſuetis figuris dedecorantur. Tales ſunt, ſemicirculus mutilus & interruptus: craticulæ; Saturni character, capillamenta. Eſtq́ hoc notandum de omnibus lineis in manu. De Planetis nunc agamus juxta ordinem propoſitum.

XI.
VENUS.

Venus benè feliciterq́ affulgens, qnando ſcilicet in proprio monte ſtellam claram exhibet, aut ſulcos rubicundos tranſverſim parallelos, & quoties monticulus eius probè eſt elevatus: efficit homines lætos, hilares, luxui deditos, amabiles tamen, gratos, venuſtos ac libidinoſos, probos etiam ac iuſtos, apud quos integrum & incorruptum cœptæ amicitiæ vinculum permanet. Corpus autem reddit longiuſculum, candidum; oculos largitur gratos, venuſtatis ſplendore fulgentes, illecebroſulos: capillos verò criſpos ſpiſſoſq́ ut plurimum, ſed molliter etiam flexos: Mundos reddit ac nobiles animos inſtillat: Sæpe jactabundos atq; incontinentes:

Animum ergo proclinat ad Musicam, Pictoriam, quæq; artes pulchritudinem quandam referunt. Interdum pro genituræ mensura Sacerdotes efficit, ac gymnasiarchas, aromatarios, horticolas, &c.

Eadem autem inauspicata, lasciviam infert & incontinentiam, jactantiamq;. Crux etiam propè primam pollicis juncturam, adulterum designare consuevit, aut cui in re vxoria infelicitas obtingat. Veneris locus si planè est incultus incisurisq; vacuus, effœminatum decernit, rudem ac tristem, atq; ad hilaritates iocosq; ineptum planè ridiculumq;.

XII.
MARS.

Mars præest feliciter, quoties Soror Martia rubicunda, clara ac decenter producta conspicitur, stellæq; aut crux in eius cavea inveniuntur. Sic igitur designat audaces, animosos, imperterritos, bellicosos, contentiosos, atq; non facilè mobiles; fortes, edaces, imperiosos: capillos largitur ut plurimum ruffos, oculos verò è nigris rubescentes, ac truculentos. Cum Iove participe possidet fel, renes, dorsum, epar; & cum Venere, pudenda &c. Hic idem contumax & infelix, quando scilicet eius signa ac locus sunt turbati &c. concernit litigiosos, violentos, deceptores, iracundos, intollerabiles. Reliquis etiam dissentientibus, latrones, sangvinolentos; Aut qui artes suas igni ferroq; exequuntur. Circa uxorem, filios, amicitiasq; infideles. Quin febres quoq; sic positus ingenerat, itemq; pustulas, oculorum cutisq; fœditatem, apoplexiam, ignem sacrum, vulnera, cogitationes turbidas.

In Martis cavea si Saturniæ particula quædam cernitur, præcipitium minatur. Ex eadem cavea si ascendit linea quædam tortuosa ad Saturni tuberculum, carceres portendit.

Peculiariter, linea quædam è Martis cavea versus restrictam deducta, sed in ea eius parte desinens, quæ Lunæ loco subjacet, multarum peregrinationum nota est certissima.

XIII.
IVPITER.

Iupiter

Iupiter feliciter præstò est, quando in regione sua, signa auspicata exhibet, hoc est, si ibi adsunt, stella aut duplicata crux, lineæ parallelæ, linea à vitali ad eius tuberculum decenter producta &c. Decernit sic nobiles, gloriosos, honestos, benevolos, affabiles, honoratos, lætos, spectabiles, mundos, iustos, æquos, formosos ac formidabiles, felicesq́; quiq́; pulchris oculis spissisq́; capillis conspiciuntur, ac cum gravitate incedunt, demum qui sunt verecundi ac promissa servant. Hi ipsi maximis dignitatibus præficiuntur ac magnorum virorum conversationibus sollicitantur, uxoribus, filijs, honestis, probisq́; hominibus magnopere favent &c. In homine Iupiter habet epar, sanguinem, costas, pulmones, cartilagines. Infelix si fuerit, sæpe hominem de statu deijcit in calamitates. Craticula eius in monte, à mulieribus, potentioribus præsertim, damnum nunciat. Aliàs ita constitutus, affert dolores cordis, spasmum, peripneumoniam, & quæ vitia ex ventositate promanant. Linea quædam si transversim montem eius scindit, & ad Saturni locum abiens atq́; capillamenta ibi faciens, apoplexiam notat. Peculiariter si crux aut stella clara ac rubicunda in eius monte cernitur, honores splendidos designat, divitiasq́; ex publicis munijs & à principibus viris pollicetur.

XIIII.
SATVRNVS.

Saturnus feliciter collocatur, quando lineam Saturniam integrè ad eius regionem traductam invenimus. Minus autem, quoties auspicatos alios characteres exhibet: Infelicissime, si turbata atq́; in auspicata signa ostendit. Imperat lieni, ossibus, vesicæ. Felix, efficit homines quidem taciturnos, sed providos, boniq́; ac profundi consilij, cogitabundos item ac subtristes designat, quiq́; tacito spiritu inflantur, & ad honores aspirant. Corpore ij sunt extenuato, longiusculo, pallido ac ferè languido, capillis denigratis, oculis profundis; felices reddit in agricultura & reb⁹ metallicis. Ab vxorib⁹ ac re Venerea magis sunt alieni, & ad risũ iocosq́; ferè inepti, tũ tenaces quoq́; atq́; sollicitudine pl⁹ iusto laborantes, &c. Infelix autẽ & contumax, Saturn⁹ efficit tristes, laboriosos, sordidos, humiles, avaros, infideles,

mendaces,

mendaces, infelices, malitiosos, & doloribus anxietatibusq; perpetuis implicatos ac pressos. Sic quoq; morbos difficiles imprimit, catharros, phtisin, melancholiam, hypochondriacam, hydropisin, podagram, caducum, febrem hecticam ac quartanam: Adducit etiam carceres, casum ê locis æditioribus, & in aquis vitæ periculum. Linea grossa, ab interstitio medij & indicis ad mensalem pergens eamq; interrumpens, inferiori in ventre, aut morbos aut vulnera designat.

XV.
SOL.

Sol si feliciter præest, facit homines fidei plenos, ingenuos, honoratos, elatos, sapientes, humanos, relligiosos, æquos, moderatos, annosos, quiq; negocia sua semper non sine honestate peragunt. Corpus compactum largitur, & flavedine capillorum honestat. Dominatur cordi, diaphragmati, nervis.

Infelix autem, reddit superbos & elatissimos, iniquis rationibus sibi ad dignitates aditum patefacientes, jactabundos, immodestos. Infert ita fluxum ad oculos, læsionem oculorum orisq;, cordis tremorem, Syncopen, &c. Via Solis læta apparens, honores in rebus politicis significat, principumq; gratiam ac favorem: Contra turbata & inauspicata, honores impedit, & principum iram odiumq; concernit.

XVI.
LVNA.

Luna felix, facit splendidos, honestos, honoratos, magnos corpore, sed proportionato tamen, candido & pulchro, placidos item ac libenter peregrinantes & ad aquas ambulantes. Reliquis aliquomodo dissentientibus, inæqualem vitam reddit, nec admodum

dum stabiles actionum successus, sed tamen in melius plerumque sese vertentes. Præest cerebro, stomacho, ventri. Inauspicata vero designat maximè inconstantem vitæ ac valetudinis tenorem, dolores anxietatesque auget. Sic etiam affecta, affert paralysin, membrorum commotionem, sæpe epilepsiam, cancrum, corporis maculas, colicos cruciatus, & quicquid ex frigoris humiditatisque abundantia promanat: magisque hæc significata eventui respondebunt, quoties lineæ, in Lunari tuberculo repertæ, valdè pallidæ conspiciuntur. Peculiariter, pulchræ notæ ad ferientem, felicia designant viro in peregrinationibus, legationibus, terris alienis: Fœminæ in partu felicitatem ac fœcunditatem. Contrà faciunt ominosa signa.

XVII.
MERCURIUS.

Mercurius felix ac fortunatus, reddit ingeniosos, scientiarum cupidos, secreta rerum investigantes, aptos ad artes quaslibet, Oratores, Poëtas, facundos, callidos, versutos, ac dociles; Mathematicos, Arithmeticos, mercaturæ deditos, &c. Præest linguæ, memoriæ, &c. Infelix si fuerit, leves facit, mendaces, garrulos, fures, deceptores, instabiles, infideles, proditores &c. Concitat morbos siccissimos, maniam, furorem, febres acutissimas pro reliquorum consensu.

Cum autem uni duntaxat planetæ dominium rarissimè cedat, sed familiaritas duorum, trium aut quatuor sæpe coincidat; cautè in eorum decretis enucleandis procedendum est. Mixturas verò illas ritè disponere ac proferre, res sanè difficilis, præsertim parum excitatis: quoniam mixturæ eiusmodi sunt ferè inscrutabiles in universum.

Attamen expeditius hac in parte est negotium, claræ ubi sunt lineæ ac signaturæ; Obscuriores autem, intricatiora decreta reddunt.

XVIII.

MENSA SEV LOCVS FORTVNÆ.

I. Hoc ſpacium amplum ac latum figura decenti, hominem oſtendit liberalem, magnanimum, longævum.

II. Anguſtum verò ac parvum, exilem fortunam ac tenacitatem cum timiditate arguit.

III. Crux aut ſtella clara ac proportionata hoc in loco, ac præſertim è regione medici, honores dignitatesq́ à Magnatibus obventuras monſtrant in viri manu: character Iovis ibidem, inſignia Eccleſiaſticarum adminiſtrationum denotat ornamenta.

IIII. Eadem vero crux aut ſtella triplicata, ſignificata bonæ fortunæ excellenter auget: Vti eadem confuſis lineolis diſſecta, fortunam evertit, anxietatesq́; ac labores in præſentibus honoribus tuendis prædicit, præſertim è regione annularis.

V. In extremitate menſæ crux vel ſtella, felices indicat peregrinationes.

VI. Menſa acuminata per thoralis atq́ cardiacæ concurſum, inſidias ac vitæ periculum indicat.

VII. Nulla menſa in manu ſi reperta eſt, vitæ fortunarumq́; obſcuritas monſtratur.

VIII. Bonæ lineæ & æquales hoc in ſpacio, fortunam benè collocant: malæ & incompoſitæ, evertunt.

IX. Circulus parvulus in menſa, notat ingenij perfectionem conſummatasq́; ſcientias; cæteris tamen aſtipulantibus.

XIX.

POLLEX.

Intra unguem pollicis ac juncturam, tranſverſæ lineæ, claræ, longæ; divitias atq́ honores pollicentur.

A ſupremo pollicis articulo linea decurrens ad cardiacam, violentam hominis mortem notat; aut ab uxore aliqua periculum.

Lineæ

Lineæ ſparſæ paſsim in imo pollicis articulo, contentioſos denotant iurgijsq; gaudentes.

Linea circundans pollicem per mediam juncturam, ſuſpendium portendit. AEquales ſulci ſub articulo pollicis infimo deducti, opes ac poſſeſsiones arguunt. Prima & ſecunda junctura ſi inciſuris carent, ſomnolentiam deſignant ſocordiamq;.

XX.
INDEX.

In extremo articulo complures lineæ tranſverſim procedentes, hæreditates notant. In medio articulo eodem modo currentes, invidiam malevolentiamq; hominis produnt.

Eodem loco, lineæ rectæ inter juncturas deductæ, prolis numeroſitatem declarant in fœmina: In viro linguæ amarulentiam. Rectè lineæ in primo articulo propè Iovis montem, Iovialem naturam confirmant: h. e. eum monſtrant, cui Iupiter in genitura benè affulget.

Quæ mulier eodem in loco ſtellam habet, impudica ac laſciva pronunciatur.

XXI.
MEDIVS.

Hic craticulas in juncturis oſtendens, ingenium infelix ac melancholicum planè, declarat. Lineæ æquales in hoc digito, fortunam in venis metallicis nunciant.

Stella ibidem, mortem violentam obnunciat ex ſubmerſione, veneficijs, &c. Linea groſſa à radice huius ſi extenditur ſurſum per totum digitum uſq; ad finem juncturæ ultimæ, fatuitatem & inſaniam monſtrat.

XXII.
ANNVLARIS.

Linea quædam à monte Solis exordiens rectoq; tramite per juncturas ascendens, famæ splendidissimæ argumentum est.

AEquales lineæ in prima junctura, honores ac divitias denotant. Transversæ, principum inimicitias notant: quæ tamen si intersectæ videntur, bonum est, quoniam impedimenta arguunt.

XIII.

AVRICVLARIS.

Ex hisce juncturis, ut ex monte ipso, de mercatura ac favoribus, fiunt judicia ac censuræ. Stella in prima junctura versus tuberculum, ingenium arguit ac facundiam. Reliqua signa obtusa, contrarium notant: Quin imò inauspicata signa in prima ac secunda junctura, furem ac fallacem hominem ostendunt. Lineæ adversæ in extremo articulo, incontinentiam diuturnam præsagiunt.

Quidam de numero conjugum pronunciant ex *lineolis*, in Mercurij monte ad manus extremitatem positis: Ego quidem sæpius id cum rei veritate congruere vidi: Sed tamen audacter aliquid hac in parte confirmare nolo, quod hoc negocium ad Venerem spectet, eiusq; dispositionem.

Hic digitus, si summitate sua non attingit ultimam juncturam medici, uxorem per omnia imperiosam aliquibus significat: Probari hoc potest ferè à quovis.

Observationes duæ de montibus ac digitis.

I. Vt montes ornati bonis figuris ac characteribus, bonum omen referunt: Sic etiam digiti. Lineæ turbidæ atq; inconcinnæ, semper malum præsagiunt, tàm in digitis, quàm in montibus, nisi à contractu bonarum linearum coërceantur.

II. Docent confirmantq; Chiromantici, primum articulum digiti montem versus, primæ ætati; secundum florenti vitæ, extremum senectuti tribuendum. Notas autem repertas, juxta Plane-

tarum

tarum naturas esse explicandas: Vbi tamen, ut antea monuimus, directiones seu progressiones locorum, in cuiusque genesi principalium, suo tempore sua monstrare signa atque characteres, sive faustos sive minaces, firmiter teneamus.


CHIROMANTIÆ PRACTICA
Specialis ac concordantia genethliaca in exemplis XIX.

Legeram ego apud Autores, characteres locorum linearumque facies conformari pro planetarum præsidentium positione atque habitu in cuiuslibet genitura: Probavi, nec statim id negavi mecum: sed qui exempla protulisset concinnassetque hoc in negocio, neminem repperi. Hinc experiri ego id tento conatu ardentiori, quò hui9 scientiæ fides & apud me & apud alios simul, plenissimè comprobata atque indubitata maneret. Quocirca cum unũ atque alterum exemplũ ad concordantiam suam constare perspexissem, avidiori indagine mox plura colligo conciliatione facta, quorum tibi, Lector ingenue, iam XIX. ad oculos pono: Lege, intellige, judica: Inscius aut discat aut taceat; Invidus valeat: Cuicunque placuerit, hæc ipsa abijciat.

EXEMPLUM I.

Nascitur *quidam Vratislaviæ* A. C. 1 5 6 7. Augusti d. 17. h. 12 $\frac{1}{6}$. p. m.

Vita longæva futura est, morbisque rarius obnoxia. Crasis maiori ex parte phlegmatica est, ut vulgò loquuntur. Mercurius in proprio domicilio angularis, ingenio minimè deest. Medium Cœlum Iovis benignitate triangulariter circundatum, lætos facilesque afflat honores, sine impedimentis. Mars in duodecima sub Mercurij hospitio, Mercurium ipsum de quadrato impugnans, Musas impedire conatur per homines præsertim Martiales, quique mercaturæ sunt dediti, &c. Venus egregiè itidem collocata est, & felix connubium & prolis numerositatem conciliatura.



Divitiarum augmentum reperimus ex connubio, tum quoq; ex proprijs servitiis officiisq; aliorum causa honestè susceptis. Nec carceris nec mortis violentæ indicium ullum iam reperiri licet. Infortunium autem aut à latronibus, aut ab animalibus maioribus præcavendũ aliquando. Peregrinationes in prima ac media ætate, futuræ sunt satis frequentes, famosæ, honorificæ, lucrosæ.

Hæc si ad manus lineamenta traducimus, convenientiam videbimus.

I. Mons Veneris sulcis suis insigniter conspicuus, Veneris optimam posituram in genesi monstrat: Hinc quæ Veneris sunt, ipse ad iudicium concinnandũ collige.

II. Tres claræ lineæ in prima minimi junctura, Mercurij præsidium docent: subvenit huic negocio triangulus apposité descriptus: Vndé ingenium optimum, moresq; probatissimos conijcimus.

III. Habet & Solis locus suas lineolas haud ineptas, honoribus faventes. Idem Sol in genitura angularis conspicitur in Iovis sexangulo partili.

IIII. Adversis

IIII. Adversitates morbosq; aliquos ostendit Saturnus per suas incisuras in proprio monte, sed leviores tamen.
V. Liberalitatem naturæ confirmat iusta amplitudo mensæ.
VI. Saturnia ad Epaticam usq; traducta, indicat mores probatos, iudicij rectitudinem longævitatem.
VII. Honorum amplitudinem indicat Mons Iovis, decenter incisuris ornatus.
VIII. Crux propè ferientem, felices atq; honorificas peregrinationes arguit: Aliàs Lunæ regio hoc tempore fuit inculta.
IX. Honores ac fortunam benè collocat crux in mensa subsolari digito; sed incisura ab eadem demissa per epaticam, damna rei familiaris in senio videtur indicare. Summatim: Primariæ lineæ, optima conformitate dotatæ, membrorum in corpore principalium robur designant, ut ex genitura quoq; apparet. Non est consilium nostrū, omnes incisuras in universum vel appingere vel examinare, præsertim minutissimas per digitos, aut restrictam ipsam. Satis est, significata principalium linearum ac characterum ad natalitia sidera eorumq; decreta rectè accommodasse: Ita ut cætera cuiusq; sagacitati sæpè committantur.

EXEMPLVM II.


Natus est quidam spurius in territorio Vratislaviensi, parentibus ignobilibus, A. C. 1590. Febr. d. 2. st. novo h. 1 $\frac{1}{2}$. p. m.
Hunc puerum quamprimum in itinere conspexi, de eius natali tempore statim quæsivi. Vix enim quartum ætatis annum is ingressus, liberalem admodum formosamq; faciem ostendebat. Illegitimo thoro natum intelligens, diligentius manus delineationem observabam describebamq;. Illæ igitur signaturæ in manu quàm pulchrè ad sidera natalitia quadrent, breviter videbimus.

Invenimus quatuor aut quinq; erraticas excellenter collocatas, sic ut regia genesis veri⁹ dici possit. Ven⁹ ipsa angularis est sub propria sublimitate, atq; insuper ab ipso Iove ex domicilijs recepta. Eadem

domicilium permutatio est inter Saturnum ac Mercurium, Mars sub triplicitate sua, eo in cœli loco, perpotens est. Triangulum conformant aëreis in signis, Sol, Saturnus, Iupiter: quo in situ pars fortunæ etiam invenitur.

Epatica in fine debet esse productior: tùm in hiatu etiam ipso cõtinua, sed tamen obscuriús.

Sculptoris hic lapsus.



1. Obnunciant utrinque non solum vitæ longitudinem, sanitatisque constantiam; verum ingenium etiam absolutum, animumque nobilem: In manu depræhendis excellentem linearum concinnitatem, locaque optimè exornata, puta Veneris montem Iovisque: Tum Mercurij ac denique Lunæ. Martiam Sororem vides clarissimam, ex qua bellatorem felicem ac formidabilem pronuncies.

2. Mercurius


II. Mercurius animum proclinabit ad ſcientias quaſvis, ingenium profundum requirentes.
III. Iovis regio benè ornata eſt; characterem, in forma literæ M conſpicuum, conijcio eſſe Iovis, exilitate inciſurarum in depingendo deceptus. Cernis etiam in geneſi Iovis præſidium ſplendidum, ad ſpicam Virginis non ſine receptione Veneris collocati.
IIII. Sic Veneris locus appoſitis inciſuris exornatus conſpicitur. Hinc in huius nati genio deſcribendo conſtat, mixturam eſſe adhibendam ex decretis Martis, Veneris, Iovis ac Mercurij.
V. Saturnus è ſuo loco tres lineolas demittens, thoralem perrumpentes, ægritudines notat in ſenio: Sed & inopiam ac paupertatem oſtendit.
VI. Ad naturæ bonitatem accedit menſæ conſueta capacitas.
VII. Via Solis, honoribus dedicata, etiam conſpicitur, ſed tamen tacta à minutis lineolis. Vnde impedimenta levia honorum monſtrantur.
VIII. Excellentiam decretorum confirmat Saturnia, ad mediam uſq; recto tramite aſcendens.
IX. Peregrinationes oſtendit Feriens: Cuius rei ſignificata in geneſi exhibet Luna in occaſu ſub mobili ſigno partiliter ſupputata: Tum etiam Mercurij diſpoſitio ad Saturnum, nono loco imperantem.
X. Epatica in fine hiatum oſtendens, vitæ genus mutabit in ſenio &c. Excellens receptio erraticarum, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ, octavæ, nonæ, decimæ, undecimæ ac duodecimæ domibus imperantium, magnum quid concernit ultra nati conditionem natalem.

EXEMPLVM III.

Eodem die & anno, demtis ſaltem horis 12. cum dimidia, nata eſt quædam puella in Turingia, ſub elevat: Poli $51\frac{1}{2}$. gr.

Operæ precium eſt, ut iam præcedentis manus diſcurſum huic aliquomodo adjungamus.

 I. Princi-



I. Principales lineæ, vitalis, epatica ac thoralis, in ſitu conformitateq́ue ſua feré concordant: In minus principalibus diverſitatem conſpicis.

II. Vitalis tripliciter diſſecta eſt: Primò, Non procul à reſtricta: hæc ſignatura indicat morbum circa annum ætatis ſeptimum. In directionibus licet nihil eo tempore ſit ſuſpectum: Cum tamen in annis climactericis valetudinis procellæ quædam plerumq́ue inſtent, etiam nulla locorum apheticorum progreſsione infauſta accedente; conijcias febriculam, morbillos, exanthemata, &c. Altera ſectio,

in

in ipsius lineæ medio conspicua, congruit ad directionem horoscopi ad Saturni oppositum, circa annum ætatis 32. &c. Morbum afferet satis periculosum.

Tertio sectio ad annum ætatis 52. vel 54. referenda est, horoscopo ad Martis quadrangulum deveniente. Vulnera hæc sectio indicat, aut morbum ardentissimum in ventre inferiore: quoniam ista incisura per Martis caveam alias lineas interrumpit. Lethalis hic ipse morbus non erit propter astantem Venerem in genitura.

III. Deest hîc *Martia soror*: sed sulci Venerei admodum clarescunt. Quapropter lasciviam indicant. Idem planè concernit in genitura, Martis ac Veneris congressus sub piscibus, alteri eorum horoscopi dominio cedente.

IIII. Excellentior hîc est Cephalica: Idcirco ingenio magis sese accommodat. In genesi cernis Mercurium in tertia loco competentiori, in receptione & aspectu ipsius Saturni: quamvis Mercurij tuberculum vix unicam ostendat incisuram.

V. Crux in Lunæ loco, fœcunditatem nunciat, atque in partu felicitatem. In genitura Venus huic negocio præstò est: licet Martem habeat iunctum sibi: Hic cum dominatum sextæ domus possideat, timendum, ne aliquando in partu masculi periculum obijciat.

VI. Locus Iovis aliter quoque depræhenditur, atque in præcedenti exemplo: Favet quoque Solis regio aliquomodo. Honorata vita fœminis generosioribus non nisi per matrimonium obtingere consuevit.

VII. Linea in manus meditullio exoriens & ad radicem thoralis ascendens infra Mercurij regionem epaticam dissecando: amicum infidelem notat, qui damna in ætate declinante rei familiari sit illaturus.

VIII. Epatica in fine bifida, ingenium in senectute mutabit in peius. Crux ibi, boni alicuius nuncia est. Hæreditatis nota est in genitura, receptio Mercurij ac Saturni ex domicilijs, tertiæ, quartæ atque octavæ domui imperantium.

IX. Concinna est mensæ amplitudo, & appositus thoralis situs: bonitatem naturæ designant ingenijq; promtitudinem.

X. Saturnia obliquo tramite è restricta ad Saturni tuberculum deducta, laboriosos designare consuevit, subavaros ac duriusculos, &c.

Lineas autem in manibus non esse complete perfectas, hora nativitatis, exemplum hoc abundè comprobat. Proinde cum hinc certum sit, collocationem erraticarum in figura plurium obtinere autoritatis: necessariò sequitur, lineas, præsertim minus principales, conformitatem suam clariorem sanè recipere, à primo geniture momento, quo infans manus movere & ad apprehendendum explicare incipit. De principalibus dubium non est, quin in ipso nativitatis puncto sint satis clarè exaratæ: Sed incisurarum characterumq; aliquorum accessum ad temporis progressum fieri, ratio ipsa docebit eum, qui infantulorum manus diligentius inspexerit. Nam in principio obscuram atq; subtilem linearum picturam offendimus: Mox tenerrima illa cuticula per motum ac balneum quotidianum ablata, clarius lineæ omnes dietim enitescunt: Vis astrorum, spiritusq; sidereus, cuilibet inflatus homini, lineas tum completius perficere incipit, aquæ elemento interveniente. Quicquid generatur in hoc mundo, ex aqua generatur & spiritu: Et quicunq; hominum non regeneratur ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum DEI, ut Salvator noster loquitur: Aqua cordis habet respectum in homine, spiritus verò divinæ efficaciæ. Cæterum sidera virtutem suam per aërem, igneæ naturæ, qualis est siderum, vicinissimum, proximè transfundunt: Per hunc ipsa aqua, aëri secundum συζυγίαν proxima, vim cœlestem recipit, atq; ipsi terræ communicat: qua è communicatione terræ fœcunditas efficitur.

Hoc ipsum apertè cernitur verno tempore, ubi crescentia è terræ gremio prodeunt: Deficientibus tum imbribus, ea parum augentur, quodvè incrementum recipiunt, illud aut vaporoso noctis frigori, humiditatis simulachro, acceptum referunt, aut rori nocturno, aut utriq; simul: calore Solis per diem officium obeunte

suum;

suum: Quo quidem per dies aliquot continuato, si advenerit plu-
via, mox vides res crescentes incremento augeri feré momentaneo:
quoniam iam spiritus sidereus, eas vivificans, copiosa humidi asper-
sione sese excellentius illis insinuat. Non aliter de cuticula ma-
nuum tenerrima statuas. Cernis etiam in plantis ipsis, quantope-
re rudia sint, sub egressu primo ex terra, folia, secundum eorum
scilicet lineamenta, vibrarumq; picturas, signaturæ aliàs nuncupan-
tur: quæ ipsæ pededentim sese apertius in conspectum depingunt.
Non secus de manuum lineis incisurisve pronunciandum, in signa-
turarum enucleatione similem analogiam possidentibus. Iam igi-
tur constat, quanta sint DEI opera: posuit is in manu cunctorum
hominum hæc signa, ut quilibet etiam hinc cognosceret eius opera
inpervestigabilia, ut Iob. Cap. 37. v. 7. eloquitur.

Quamvis sint, & inter Theologos & Philosophos simul, qui
flagitium existiment, quando hoc dictum ad Chiromantiam detor-
quemus, sed ut breviter illis satisfaciamus, agè eius versiculi sensum
explicatius videbimus. Textus ibi sic habet:

V. 5. Tonabit DEVS voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.

6. Qui præcipit nivi, ut descendat in terram, & hyemis pluviis & imbri fortitudinis suæ.

7. Qui in manu omnium hominum signa posuit, ut cognoscerent opera sua singuli.

8. Ingreditur bestia latibulum suum, & in antro suo moratur, &c.

In principio capitis habentur propositionis quædam quasi
præludia. Exprimit igitur propositionem in versiculo quinto:
Ita, ait, tonat Iova in operibus suis, ut magna ea sint & inscrutabilia.
Sequuntur huius propositionis exempla in versiculo 6. 7. 8. 9.
10, &c.

Descendere, inquit, facit nivem tanquam lanam, ut Psal-

mista addit. Rationes in nivis generatione apud peripateticos speciosè quidem traduntur: si tamen easdem ad libellam revocas, nullo modo subsistunt, sed in anilem sapientiam desinunt. Alterum exemplum propositionis habetur in versiculo septimo, DEVS homines cunctos in manibus signat, ut quilibet sciat opus suum, h. e. lineas illas non casu in manibus fieri.

Hebræa versio de verbo ad verbum:

In manu omnes homines obsignabit, ad sciendum homines opus ipsius.

Septuaginta Interpretes:

In manu omnes homines subsignat, ut sciat omnis homo suam infirmitatem.

Hieronymus:

In manu omnium hominum signa posuit, ut noverint singuli opera sua.

Chaldaica translatio:

In manu omnium filiorum hominum signat, ut sciant omnes filij hominum opus suum.

Nos omninò detorquemus hæc ad manuum lineas, quoniam eas omnis homo quotidie conspicit, & quid sibi velint, rarissimè cognoscit. Particula universalis utrobiq; ponitur: qua de causa nemo hominum excluditur. Refutat hæc ipsa versionem quorundam, qui habent: (ut quilibet recognosceret operarios suos). Atqui multa hominum millia vivunt, quibus nulli sunt operarij, sed qui manuum labore victitant ipsi.

Præterea recognoscere operarios suos, non profectò opus est magnum & inscrutabile: Sed tale omninò, quod vel rusticorum vulgus etiam quotidie obit.

Dissentit

Dissentit igitur planè á propositione ista versio. Iam obiicies: Si linearum in manibus dispositio ac pictura opus inscrutabile est, nihil certi de earum decretis ac significationibus pronunciari poterit. Erit igitur scientia Chiromantiæ imperfecta ac mutila, aut, si placet, nulla. Respondeo: Omnes scientiæ in hac vita sunt imperfectæ ac mutilæ, si vim humani ingenij considera veris: Vel ipso Apostolo testante. Hoc ideo fieri certum est, ne ob nostrum ingenium, ob nostras illas scientias, superbiamus, sed rerum omnium perfectionem absolutam in DEO quæramus, qui *reservavit illam perfectionem* ad futurum seculum. Sunt tamen scientiæ illæ non ideo spernendæ ac planè reijciendæ: Sed ijs oblectat sese mens hominis ingenui, quoniam scientiæ sunt verus animi cibus.

Affirmamus autem Chiromantiam inscrutabilia continere ratione triplici. I. Quia in hac ipsa ad particularia ac minutissima quæq; progredi nequimus, ita ut omnium incisurarum in universum possimus decreta explicare. Ac quamvis multa particularia pronuncientur, ita tamen sunt particularia, ut ex universalium numero neutiquam recedant. Quando vero ex omnibus incisuris minutissimis aut posses aut velles significata eruere, sæpè ultra centena decreta forent annotanda: Quod factu nobis est impossibile. Cognitio igitur nostra vix ad *medietatem huius scientiæ* sese extendit: Vnde non iniuria inscrutabilis signorum omnium particulatim habenda est significatio.

Altera ratio est, quoniam in omnium hominum manibus harum ipsarum linearum situs longè variat. Mille manus licet intuearis, convenientiam omnimodam in linearum situ ad minutum usq; nullibi deprahendis. Hæc ipsa diversitas non aliundè, quàm ab ipsa anima Mundi delabitur: Hæc est quæ per spiritum suum, universa quæq; huius inferioris mundi, de hora in horam variè disponit, movet, animat, producit, signat, sustentat: Hæc ipsa homini cuiq; spiritum quendam sidereum communicat

ex septem stellis signisq; duodecim, cuius ductu & instinctu quilibet, quod suum est, ut plurimum proficit: libertate voluntatis manente. Antiquiores Philosophi dœmonem, seu genium cuiusq; proprium, nuncuparunt. Quocirca, si non inscrutabilis esset ferè cunctis signaturarum earum investigatio, quilibet genium suum facili negocio inveniret cognosceretq;, & quid facto opus esset, maturè sciret. Sed de anima Mundi eiusq; spiritu, in fine operis quædam subnectere placet.

III. Mirabilis demum est manus ipsius structura propter proportionem, quam habet ad faciem ac facici quasdam partes.

Est autem talis.

1. Tota manus tanta est in longo, quanta tota facies.

2. Maior indicis articulus (is est, qui Iovis tuberculo adiacet) æquat frontis altitudinem.

3. Residui duo ad extremum unguem, æquant nasum, ab intercilijs videlicet in summas nares.

4. Primus & maior articulus medij tantus est, quantum ab imo mento ad supremum inferioris labri.

5. Tertius verò eiusdem, quantum ab ore ad inferiora narium.

6. Maior pollicis articulus dat oris aperturam.

7. Eandem dat, quod est ab imo mento, ad supremum inferioris labri.

8. Minor pollicis articulus tantus est, quantum à supremo imi labri ad imas nares. Omnium extremorum articulorum, quos onychios vocant, ungues obtinent iustam medietatem.

Iam satis intelligi posse existimo, quanta consideratione sit opus ad cognitionem manus, ipsiusq; partium ac signaturarum: quæ tamen corporis humani exigua particula censetur. Causam verò eius proportionis, quam diximus, quis enumerabit? Verè igitur homo, DEI opus est, velut hebraica translatio ad verbum in illo IOBI dicto subindicat.


Tertium exemplum ab Iobo propositum, est de bestijs, quæ latibula sua quærunt, ac suo tempore relinquunt, non aliter ac si

quispiam

quiſpiam hoc ipſum illas docuiſſet. Conſtat hinc, beſtias ſenſu quidem vivere, ſed rationis alicuius non planè experti: Quod ipſum alijs quoq; documentis probatur. Sed ſimulachrum humanæ rationis iis rectius attribuerimus. Cætera iam linquo. Non tamen hæc eò appoſita ſunt hîc, quaſi ſine illius dicti conſenſu ac teſtimonio Chiromantia noſtra conſtare non poſſet. Approbet hæc, cuicunq; erit volupe. Aliter cui placuerit, ſenſu is ſuo abundet.

EXEMPLVM IIII.

Natus eſt quiſpiam ad Rhenum A. C. 1546. Ianuarij d. 6. h. 1 $\frac{1}{3}$ p. m. ſub elevatione 52. p. ferè.



Vitalis debet carere hiatu.

 Quæ

Quæ in hoc exemplo consideremus sunt:

I. Podagræ nota sub Saturni digito sese ostendit, qua vicatim hic ipse laboravit per aliquot annos: quamvis in specie ille morbus ex characteribus prædici non potest. Mars in figura natilitia sub Sagittario in sexta inventus, podagricos efficit infallibiliter: cuius positura alia quoq; novimus exempla.

II. Cingulus Veneris integer, at duobus tamen locis intercisus, intemperantiæ morumq; sordidorum in re venerea, signũ est apertissimum, non sine levi labe nominis ac famæ, quod eventus ipse ita comprobavit. Considera, quæso, *Saturnum in septimo loco*, Veneri adherentem in Lunæ quadrangulo. Conjunctio talis impuras efficit mentes, nisi Iupiter sese interponat. Abnegat quoq; prolem prorsus, datam verò sæpè tollit, aut infelicem futuram indicat.

III. Fortunatum hominem arguit triangulus perfectus: Cephalica integro ductu ad Mercurij locum pergens: tum Saturnia mediam rectê attingens: Iovis, Mercurij Venerisq; locus: Via lactea demum haud ineptê formata. In genesi vides Saturnum ac Iovem, in septima, octava, nona, decima, vndecima, duodecimaq; dominium usurpantes, non sine tamen permutatione domiciliorum; quibus in locis erraticæ omnes, demto Marte, inveniuntur. Fortunâ igitur huic optimè aspiravit in rebus Veneri, Mercurio, ac Iovi subjectis.

IIII. Lineæ binæ parallelæ scalarum instar á *Saturni Solisq;* regione in Lunæ locum opportunè deductæ, fortunam prosperam ac constantem designant extra Patriam.

V. Peregrinationes ostendit Lunæ mons, probè ac perspicuè depictus incisuris appositis.

VI. Mensalis montem Iovis dissecans, iræ magnitudinem nunciat. Tales plerunq; solent esse, quibus Mars in sexta residet.

VII. Eadem dissecta sub Saturni digito lineolâ crassiuscula, ægritudinem gravem ventris inferioris nunciat in senio.

VIII. Vitalis vers⁹ finem disrupta per duplicem incisuram, morbos designat circa annum ætatis *quinquagesimũ secundum quartumve*.

Eo

Eo tempore horoſcopus decedet ad 6. gr. Leonis, Saturni fines, valde minaces, &c.

IX. Via lactea, caudæ Draconis adhærens, cruce alia accurrente; tranquillam ſenectutem obnunciat.

X. Crux in menſa ſub Solari digito collocata, honores deſignat ac Magnatum favorem. Non neceſſe fuit ex genitura ipſa ſignificata quælibet deſcribere, propterea quod in illa erraticarum diſpoſitione, quam indicavi ante, omnia lateant compræhenſa: Quæ ipſa ſtellarum facies ac collocatio rariuſculè contingit.

EXEMPLVM V.

Naſcitur quiſpiam A. C. 1586. Decemb. d. 9. ſt. novo hora 8 $\frac{2}{3}$ ante merid. in Luſatia ſuperiori.

Vt ſimplex in manu ipſa linearum concurſus cernitur: Ita Siderum quoq; collocatio ſatis abjecta eſt.

I. Iupiter quidem in propria exaltatione angularis habetur, ſed tamen retrogradus eſt, nec partiliter ſupputatur in horiſonte occiduo. Nondum montem ſuum exornavit aliquibus lineis. Favet quidem ibi in genitura connubio: qui favor quando aſpirabit, lineæ in Iovis tuberculo ſuo tempore exorituræ indicabunt, non ſine alia aliqua proſperitate.

II. Venus etiam huic negocio præſtò eſt, in ſecunda domo reperta: Sed remiſsius tamen tuberculum ſuum exornat, quod extra poteſtatem aliquam collocetur.

III. Laboravit hîc puer malo epileptico aliquoties, nec dum ab eo liberatus eſt. Hoc accidens neſcio an ramuſculis illis attribuendum ſit, è thorali ſub Saturni regione exurgentibus; an veró conjunctione thoralis cum Epatica, per inciſuram clariuſculam. Vix poſsibile eſt omnium accidentium invenire ſigna in manibus. Digitorum, fateor, lineas hoc tempore tám accuratè haud aſsignavi, quod rariſsmè in pueris perſpicuam earum picturam videamus. In geneſi quidem Luminarium coitus eſt in-

auſpicatus; quoniam cerebrum ſic maximè debilitatur, animali ſpiritu valdè ſpoliatum.



Quò coniunctio eorum arctior eſt, eò mala ipſa, hinc deſcendentia, manifeſtiora comperimus. Scio tales eſſe ingenij imbecilli, ac ſimplicis; ſemper ferè ægrotant: maximè verò melancholia hypochondriaca agitantur. Iam Saturnus in hoc exemplo ſub Ariete, capitis infirmitates auget.

IIII. Epatica verſus reſtrictam inclinata, triangulum coarctans,


ingenium contrahit, ac prudentiam minuit: quin & subavarum ita designat. Ingenio aliquomodo subvenit cephalica decenter producta. In genitura exiguas significationes ingenij deprǽhendis. Mercurius sub Sagittario Soli propinquus, debilis est omninò: Luna vix unius diei itinere à Sole abest. Horoscopus item à radijs utriusq; recedit. Iupiter ac Saturnus angulares duntaxat favent.

V. Linea per vitalem in Martis concavum abiens ac crucem ibi efficiens cum dimidiata Saturnia, vulnera notat ac vitæ pericula, à latronibus &c. In genitura probè id ostendit Mars, ad noni loci limen iam hærens, propter latitudinem septentrionalem, Soli atq; Mercurio adversus per quadrangulum. Videtur hoc decretum confirmare coniunctio thoralis & epaticæ per lineolam intervenientem. Eadem crux in Martis loco febres notat, morbosq; martiales &c. Iam satis apparet, abjectum stellarum concursum in nativitate, congruere ad rudem linearum picturam in manibus: quod ipsum aliàs quoq; observavi. Nascitur quidam in Thuringia A. C. 1 5 8 5. d. 26. Iunij, dimidia hora antè meridiem ipsam. Cadit ibi Saturnus in septimam sub Ariete: Iupiter in nonam sub geminorum principio: Sol in decimam sub cancro, secum habens Mercurium retrogradum in Saturni quadrangulo. Mars demum sub Virgine duodecimam possidet, ut Luna sub Scorpio secundam; Venere sub Leone itidem retrogrediente. Hæc positura ut abjectissima est; Ita quoq; manus ipsius lineamenta inauspicata inveni. Inprimis verò vitalis in hoc nato est dissecta per Cephalicæ particulam, concavum in manu non attingentis. Conspexi rudera quasi quædam de Cephalica, sparsim perferientem projecta non solum; sed & invicem disrupta propè Lunæ sedem. Prætereà in concavo ipso, magis sub Saturni tuberculo, quàm sub solari, stella quædam epaticæ adhæret, rimam per mensam in thoralem proijciens, sub Saturni regione &c. Hæ signaturæ non solum infelicitatem referunt, sed & vitæ brevitatem. Idem elicis ex genitura ipsa. Horoscopus ad Saturni oppositum decedet circa annum ætatis decimum quintum; morbum designans exitialem.

 Exemplum 6.

EXEMPLVM VI.

Nascitur præcedentis frater A. C. 1 5 8 8. 27. Decemb. st. novo, hora quinta matutina.



I. Mars horoscopi dominus receptus à Venere ex domiciliis, abjectis tamen, libidinem ingenerat, incontinentiamq;. Cernis ut Veneris regio evidenter exornata sit sulcis suis, cruce apposita in superiori loco. Talis crux sæpè adulteros prodit.

II. Iupiter in culmine partiliter hæret, triangulum eum Saturno atq; Mercurio satis decenter efficiens terreis in signis.

Exornat

Exornat igitur Iupiter locum suum per appositam lineolam crucemque: Vnde ratiocinaberis, hunc ipsum huic nato præesse: decreta eius ex superioribus repetas, remissius tamen, quod in detrimento suo hæc stella sit collocata.

III. Saturnus Lunam iam in complexum recipiens, genituræ dominatum arripit, proportione duplici ad Iovem. Cernis igitur Saturniam integram; Quin imò huic ipsi annexa est Soror, decenti tramite thoralem penè superans.

IIII. Quamvis ex Iove, Venere, ac Saturno de ingenio quoque constat: vides tamen Cephalicam, in ipsum Mercurij tuberculum deductam: quin auricularis lineolam gestat satis claram, quæ per ipsam iuncturam exarata est. Mercurius in genesi sub Capricorno ingenium maximè promovet, uti quoque sub Aquario ac Libra, in quibus signis Saturni potestas floret. Præterea idem Iovis trigono, sextilique insuper Veneris exponitur. Adversatur autem Mercurio Martis quadrangulus, minax honorum adeptionibus.

V. Luna nobiliter commoratur sub Tauro ac Solis triangulo, sed tamen in limine sextæ. Ferientem itaque duæ claræ lineolæ decorant; felicium & honoratarum peregrinationum argumenta præbentes.

VI. Via Solis integra & æqualiter deducta, favorem Magnatum lætosque honores promittit. Quas dignitates genitura pollicetur, eæ obventuræ sunt ex literarum præclara cognitione, & ex ijs receæ obventuræ sunt ex literarum præclara cognitione, & ex ijs rebus, quæ Mercurio sunt dedicatæ, peculiare quid negotijs omnibus adfert Solis positio sub Capricorno &c.


VII. Decretis iam annotatis subsidio venit mensa ipsa, apposita capacitate constructa. Crux ibi Saturniam turbens, infortunium aliquod indicat, quod à Saturni malitia descendat. Oppositio Veneris ac Saturni non solum matrimonio adversatur, verum etiam prolem abnegare consuevit.

VIII. Thoralis ramusculos versus ferientem emittens, inopiam aliquando præsagit, satis itaque & huius manus lineas & genituræ decreta esse examinata confidimus.

Exemplum 8.

EXEMPLVM VII.

Nascitur frater præcedentis A. C. 1590. Decemb. d. 30. st. novo, hora 4 $\frac{1}{2}$ matutina.



I. Genius huius nati dependet à Mercurio, Venere, Saturno ac Iove: quoniam eorum loca vides esse probè ornata, lineasq; integrè productas. Ac licet Mercurius suo in tuberculo nihil exhibet characterum, quam lineolam saltem unicam: Eius tamen decreta in univer-

universum suppeditat Cephalica, rectissimo tramite ad eius tuberculum usque protracta. Hinc apparent ingenij promtissimi dotes; ad eloquentiam aliasque artes ingeniosissimas felicitas: de quibus dictum est supra suo loco.

II. Quamvis Sol sub Capricorno itidem inveniatur, ut in praecedenti genitura: Non tamen Solis via in manu apparet. Vnde principum favor non tàm facile huic aspirabit, atque praecedenti, cui Iupiter ipse in culmine cœli partiliter constituebatur. Cephalica tamen indicat, quod magnis rebus hic ipse sit praeficiendus feliciter.

III. Idem pollicetur stella in Iovis monte conspicua. Linea à Vitali decurrens eo modo ad montem Iovialem, saepissimè Martis Iovisque conjunctionem in genituris mihi manifestavit, praesertim quando ea ipsa per Vitalem & Veneris sacellum transit, uti cernis in duobus exemplis sequentibus, & in decimo septimo. Optimè itaque collocatur Iupiter, incedens directo passu propè lancem librae austrinam, sexangulo M. cœlum illustrans: licet in cœli domo abiecta haereat.

IIII. Luna tenuia significata praebet, quod Solis Sextilem nondum sit assecuta: Feriens unicam lineolam ostendit, peregrinationibus non longinquis attributam.

V. Mensalis itidem, ut in praecedenti exemplo, ramusculos ferientem versus deducit.

VI. De Saturni decretis, obscurioribus tamen, nihil referemus. Cum enim retrogradus in octavo loco commoretur, licet in triplicitate sua: eius conditio mediocris censenda est. Venerem is magis laedit ex opposito, quam Mercurium, quoniam venereae naturae extremè is adversatur. De horum oppositione iam ante diximus.

VII. Mensa ipsa debitam proportionem capacitatemque refert: Vnde ingenij, ac temperamenti morumque bonitas confirmatur.

VIII. Lineola ad interstitium indicis ac medij posita inauspicata est: Vulnus notat, praesertim in ventre inferiori.

IX. Vitalis propè initium per incisuram vitiata, morbum significat infantiae. Fuit itaque correptus phrenitide vera ad medium veris

Anno 1593. Evasit feliciter, vel nullis accedentibus remedijs, pure ex aure altera copiosè effluente. Hinc ad maiora illum ipsum reservari, penitus nobis persuadeamus. Eadem vitalis interventu lineæ, de Saturni regione descendentis, dissecta, morbum periculosum indicat de natura Saturni, idq; circa annum ætatis quadragesimum. Cernis autem eo tempore horoscopum ipsum ad Saturni oppositionem progressu suo deventurum: Rem hanc, uti etiam alibi, satis mirari vix possumus. Mercurius octavum locum, qui mortis est, gubernans, in detrimento suo reperitur, à Saturno ipso hostiliter læsus: Vnde casum notat è locis æditioribus, submersionem, venena, pestem &c. Venus sese interponens malum mitigat declinatq; aliquomodo, sed non omninò tollet.

EXEMPLVM VIII.

Nascitur quidam ad fines Bohemiæ A. C. 1588. d. 8. Novemb. stylo novo h. 8. m. 45 $\frac{2}{3}$ p. m. Polus 50 $\frac{1}{2}$.

Fœlix hæc genitura, uti & manus ipsius lineamenta.


I. Ingenium summum demonstrat Luna in horoscopo partiliter inventa, in Mercurij trigono. Deinde receptio Mercurij ac Martis ex ipsis domiciliis. Venus item in angulo sub propria prærogativa: Congressus demum Iovis Martisq; sub Mercurij hospitio, Lunam iam in complexum recipientium. Idem significatum monstrat in manu Cephalica, ad Mercurij tuberculum pergens: Mercurij item digitus ac tuberculum simul, haud inconcinnas lineolas exhibentes. Concordat hanc in rem mensa ipsa, characteresq; perpulchri ad loca Iovis, Veneris, Solis.

II. Venus sulcis suis conspicua est; uti in genitura, proprio sub domicilio angularis.

III. Honoribus, rerumq; optato successui præstò est triangulus, aqueis sub signis à Sole Mercurioq; ad culmen atq; horoscopum ipsum complicatus; quibus in locis Lunam quoq; ac sortem ipsam

repe-

reperimus. Talis triangulus rarioris est contingentiæ. Fortunam prosperam insigniter promovet. Accedit his Venus angularis sub Libra &c. In manu notatæ sunt præclarè, regiones Solis, Iovis, Veneris, Lunæ: Duplex item triangulus mirè accurrit: Alter conformatur á vitali, media atque Cephalica. Alter, à Cephalica & mensali vitaliq́; si scilicet vitalis lineolam addideris, quam ad Iovis tuberculum demittit.



IIII. Matrimonio, honoribus, ingenio negotijsq́; favet insigniter norma illa duplex parallela, Altera harum perficitur â linea,

ex indicis ac medij institio in mensalem abiens, eamq; tangens infra medij annularisve interstitium, & hinc ad auricularis annularisq; interstitium protracta. Quidam per eiusmodi lineam incestum vaticinantur. Altera, è linea à pollice in mediam vitalem incidente, & ex angulo recto per cavum manus ad mediam currente. Haud obscurè hæc omnia præsagire mihi videntur virum excellentissimũ in omni scientiarum genere, præsertim in Mathematicis: Quod ipsum in genitura manifestò apparet ex Mercurij situ sub Scorpio, ex Lunæ positura in ipso oriente sub propria domo in Mercurij trigono: Demum ex permutatione domiciliorum inter Martem ac Mercurium. Celeritatem Mercurio insuper confert Martis Sextilis, &c. quæ sic quidem manifesta sunt intelligentibus, ut non sine admiratione perspici ac conferri posint.

V. Peregrinationes monstrat Lunæ regio lineam clarissimam monstrans; Idem Luna certò denunciat in mobili signo angularis; Vti etam Mercurius tertiæ dominus à Marte receptus.

VI. Scalam excellentis magnitudinis videtur certè efformare vitalis atq; ea linea, quæ è tuberculo Saturni per manum ipsam ad Lunæ regionem discurrit, clarissimo itinere: In hac scala passim conspiciuntur lineæ transversales, ad eius picturam necessariæ. Illa ipsa mirandum ac formidabile dignitatum vastigium nunciat, sed non sine invidia maxima.

VII. De divitiis multa dicere, quid opus erit? *Nullæ sunt dignitates*, nulla regia ac magnifica negocia, quibus rerum affluentia deest. Venus ita in centro subterraneo reperta, magnificas possesiones præstat in senectute, famamq; post obitum non exiguam conciliat. Vides eius tuberculum, quantoperè consuetis incisuris luxuriet.

VIII. Vitalis aliquoties dissecta, ægritudines sanè haud leves concernit. Anno ætatis quinto laboravit pustulis sive morbillis: reliquas obventuras iudices ætatis anno XI. XXI. XXV. XLIII. circiter.


IX. Cæterùm Saturnus in regione sua incisuram dimittens per

mensalem,

menſalem, ægritudinem indicat in ventre inferiore, calculum veſicæ auguror &c. Vt igitur felix hæc genitura per ſe: Ita felix etiam manus ipſius pictura, atq; in lineis ipſis convenientia: quod erat probandum.

EXEMPLVM IX.

Natus eſt quiſpiam A. C. 1551. Martij d. 8. h. 9. m. 30. ante merid. ſub polari elevat: 51. gr. in Sileſia.



Assumsimus huius manum dextram, quod in ea vidimus lineas clariores, juxta superiorem nostram annotationem. Probavimus eandem etiam in alijs exemplis, diversitate tamen sæpius explorata, ut diximus. Nolumus hoc ipsum ubiq; repetere, quod ad rem ipsam leviter faciat. Videamus inprimis praxin, eiusq; mirabilem cum genituris ipsis convenientiam perquiramus.

I. Linea vitæ incisuris ac capillamentis quasi quibusdam conspicua, ægritudines haud leves notat: Veluti Saturnus arguit, quatuor incisuris thoralem tangens: Vnde quatuor quoq; duriores notat infirmitates, quæ de eius natura habentur. Prima harum nato accidit circa annum ætatis X X I. ex catharro repentino in pectus ac pulmones, non sine aliquo strangulatu, ac maxima spirandi difficultate. Altera accidit ipsi anno ætatis X X X V. ex potione venenosa: Sed quia poculum non planè exhauserat primo libamine, superveniente aliqua nausea, fex lethalis in fundo relicta est. Non tamen nihil nocuit omninò: Sed Medici ope facilius veneni illa vis compressa est. Progressionem Solis ad Saturni quadrangulum tunc exactè devenisse intelliges, calculum si adhibueris. Tertiam conijcimus futuram anno ætatis X L V. circiter, Horoscopo è Cancro in Leonem transeunte: Externis quoq; bonis idem progressus mutationem afferre consuevit. Quartam indicabimus obventuram anno ætatis L I I I I. vel L V. Horoscopo ad sextum Leonis gradum progrediente: Qui gradus quantoperè in directionibus sit minax, alibi tibi clarius explicabimus. Quamvis hic morbus gravior futurus sit: Non tamen planè exitialis censendus est, propter Iovem cum ipso orientis gradu se devolventem. Febrem quartanam, epidemiam, Pestilentialemvé tum metuat.

Ex Directione Horoscopi ad corpus Martis, anno ætatis 13. vel 14. lapsus est hic ipse natus in aquam ferventem, læso brachio ac pectore. Ad Vitalem hoc accidens (haud tamen in specie) inquiramus, ubi Capillamenta cernimus, Martis

 autem

autem locus positus est ex Copernici calculo, habens latitud: septen: $2\frac{1}{6}$ gr. Vnde eius ascensio obliqua evadit $62\frac{5}{6}$ gr.

II. Iupiter in tuberculo suo haud insuetis incisuris conspicuus, dignitates satis magnas indicat, proportione loci natalis servata. Idem in orientis linea concernit inventus. Alibi quoque observavimus, ex linea Martis, per Vitalem ad Iovis regionem deducta, Iovis Martisque conjunctionem in genitura: Nec admodum praecedens exemplum ab hoc negocio dissentit.

III. Non malè locatur Sol sub piscibus propè Venerem: Vides igitur in eius monte lineolam satis claram.

IIII. Veneris regio sulcis convenientibus clarescens, non solum bonum eius habitum monstrat in genitura: Sed & bonum aliquod Vxoris gratia obnunciabat. Sole igitur ad Sextilem proprium, Venerisque, progrediente, ex uxoria hæreditate non mediocriter fuit ditatus: circa annum ætatis 41. ad quem ipsum manum hanc delineatam accepimus.

V. Ingenium notat Iupiter ac Mars in ortu consurgentes: Mercurius itidem sub Ariete, à Sole remotior, ingenio præstó est. Advertas ad eius regionem, & in ea offendes tres incisuras parallelas: Idem ex alijs locis pronunciabis, secundum præcepta supra ascripta.

VI. Subvenit huic negocio Cephalica ac via lactea, breviori tamen tramite decurrentes.

VII. Regio Lunæ inculta est, incisurisque omnino vacua: Perinde ut in genitura quoque omnino silet, unius diei itinere à Sole vix digressa.

VIII. Restricta continua bonique coloris, opes pollicetur, bonamque corporis crasin obnunciat.

IX. Mensa perampla naturæ bonitatem arguit: Id in genesi ex Iove judices.


X. Media

X. Media naturalis interventu alicuius incisuræ dissecta, epatis fervorem ac laborem indicat. Vti Mars Iovi proximus in ortu, aëreo sub signo.

XI. Dignitatibus aliquomodo adversatur Saturnus in culmine Invidiam præsertim afflans: Vti quoq; non frustra sub digito suo incisuram exhibet, ab interstitio medij annularisq; exorientem. Mirificum igitur consensum negocij præsentis ex hac quoq; genitura breviter depinximus.

EXEMPLVM. X.

Nascitur quispiam Anno Chr. 1588. d. 8. Februarij h. 4 $\frac{1}{2}$ matutina: VVitebergæ.



In

In hoc illustri exemplo, quænam sit familiaritas, paucis expediamus.

I. Genituræ dominium penes Iovem est atq; Mercurium. Deinde penes Venerem atq; Martem; non tamen exclusis Saturno atq; Luna. Ratio autem inveniendi constituendiq; genituræ dominum, in commentarijs nostris astrologicis explicabitur: Hanc ipsam ubivis sequimur, & â vero nos non abesse certo scimus. Iam cum angulares sint Iupiter, Mercurius, Luna, Saturnus: necesse est, ut in montibus suis hi admodum sint conspicui. Venus etiam atq; Mars haud malo congressu luxuriant.

II. Felix igitur admodum hæc genesis, exceptis ijs, quæ ad valetudinem spectant. Saturnus Iovi Lunæq; tantoperê adversus, suscitat destillationes ad pectus & epar perpetuas ferè. Congruũt huc lineæ intersectæ in Saturni tuberculo: Tum Vitalis quoq;, atq; epatica, aliarum lineolarum tactu undiq; petitæ. Morborum insultum notabiliorem dico futurum anno ætatis 30. 32. 36. 44. 50. circiter.

III. Ingenium magnum, eloquentiam, propensionem ad artes quascunq;, omnium positio monstrat: Tot lineæ parallelæ: Multa crux: appositi characteres ubiq; reperti: Inprimis autem Cephalica integro itinere Mercurij regionem subintrans; Locus Mercurij, & ipse auricularis, lineis cruceq; duplici conspicuus: Iupiter deniq; Venus, Luna, Mensa, triangulus perfectus: Ingenij significata in genesi conspiciuntur ex Situ Mercurij, Iovis, Lunæ Saturni &c.

IIII. Versutiam calliditatemq; in rebus gerendis indicat Cephalica, ad mediam usq; duplicata.

V. Libidinem notat Veneris stella proprio in loco, sulciq; ibidem clarissimi. Incisuræ tres ad tuberculi illius eminentiam inventæ, bona ex connubio indicant. Idem habes ex Veneris Martisq; congressu sub piscibus, venereo scilicet ac Iovio signo, in aspectu Sextili Saturni, ac Lunæ triangulari. Opum affluentiam ex matrimonio pollicetur Venus in secundo loco, Iupiterq; in septimo ad Geminorum capita descendens. Etiam ibidem repertus Iupiter, victoriam de inimicis omnibus pollicetur.

VI. Quamvis Sol in genitura excellenter non collocetur: Attamen regionem suam aliquomodo lineolis quibusdam exornat: Concisæ autem illæ sunt. Ergo turbidos honores insinuant. Lætiores promittit Iupiter atq; Mercurius: Tum etiam mensa multiplici cruce sparsim conspicua.

VII. Saturnia clariore tractu ad mediam pergens, mox etiam obscuriore ad Saturni locum, felices rerum eventus concernit. (♄ magis hîc valetudini adversatur, quàm externæ fortunæ) In genitura id elicis ex Saturno angulari, ex Iove, ac Mercurio, genituræ habenas primario administrantes: tum etiam à Venere & Marte, sub piscium signo congredientibꝰ: qui congressus fortunæ haud leviter aspirat.

VIII. Linea ex Martis cavea per Saturniam ad manus exitum tendens infra Lunæ regionem, longas peregrinationes obnunciat: Uti Lunæ ipsius quoq; locus, tribus incisuris parallelis notatus. Idem significatum in genesi indicat Stilbon in exortu: Luna angularis: Saturnus Horoscopi dominus in Lunæ exaltatione Venerisq; domicilio, in nono loco dominantis: Coniunctio demum Martis ac Veneris, in nona ac tertia gubernacula tenentium.

IX. Sors in octava, bona insinuat hæreditaria, tum etiam, quæ ab ingenio artibusq; affluunt ubertim: Sed tamen Mars atq; Venus ex opposito ad eandem, profusionem rerum nunciant ex voluptatibus ac luxu. Eandem conijcio hæreditatis accefsionem ex cruce atq; lineolis, in supremo pollicis articulo positis, infra unguem: &c.

X. Vitam longævam indicat Capricornus in ascendente, Saturno eiusdem qualitatis signū occupante: Idem notat epatica productior.

XI. Hæc figura mortem violentam insinuat ferè ex ruina aut submersione: Venus etiam libidinis fomenta promovet immoderatæ. Ego propter Iovem, qui Saturnum potenter reprimit, apoplexiam aut hydropem mortis primariam causam iudicabo: Philtron in juventute præcaveat. Saturnus quoq; ex angulo Lunæ tantoperè adversus, carceris pericula minatur: Suspectæ hîc sunt Veneris insidiæ. Character in monticulo Saturnio quidem adest ramosus, sed tamen intersectus binarum lineolarum interventu.

XII. Vitam

XII. Vitam opulentam in senio peregrinationesque simul prosperas, notat crux maiuscula in extrema mensæ parte propè ferientem: Vti etiam crux illa, epaticæ annexa ad finem, restrictam versus.

XIII. Linea illa, ex mensa per epaticam atque cephalicam, infra ferientem, restrictam versus recurvata in semicirculum, captivitatem notat inimicitiasque occultas. In genitura ut dictum est tale quid apparet ex Saturno, Lunæ diametraliter opposito, Iovemque duodecimi loci dominum quadrato impugnante partiliter. Ob ingenij dotes, ob scientiarum penum, ob excellentiam dignitatum, inimicitias illas obventuras pronuncies. Satis iam propositum nostrum explicasse nos ac monstrasse confidimus.


EXEMPLVM XI.

Natus est quispiam Augustæ Vindelicorum A. C. 1581. Maij d. 11. mane hora prima.

I. Iupiter licet in casu suo ac cœli loco abiecto hæreat: Quia tamen geniture dominatum arripit, primus Lunam in complexum suum recipiens: Idcirco tuberculum suum haud incultum reliquit. Quicunque astrologiæ addictus de genituræ domino principali sollicitaris, præ cæteris observes eam stellam erraticam, quæ Lunam, ut diximus, prima complexu suo excipit, ac madore cœlesti sic perfundit: quam ipsam rem alibi plenius intelliges.

II. *Mercurius dominatus in genitura particeps*, (propterea quod Lunam hospitio recipiat) in propria domo ac cœli plaga opportuna, collocatur: cuius rei signa in monte suo quoque ostendit, licet retrogradus. Ingenij profunditatem auget amplificatque Saturnus in oriente sub proprio domicilio ac triangularitate inventus.

III. Saturnus Solem ac Lunam partiliter oppugnans minaci intuitu, ex violento signo, Sole quoque non procul à Palilitio, stella malefica consistente, mortem decernit violentam, aut periculum eius maximum: Cuius rei argumentum præbet character turbidus, Saturniam ad regionem depictus: aut aliter aut clarius ibi tales tum exhibebit, quando malum præ foribus instabit.



IIII. Morum integritatem pronunciamus ex Saturnia, ad mediam desinente, Venus Lunam trigono collustrans ex propria domo, pudorem infert genuinum; Huic decreto subvenit Iupiter, quem diximus dominatui huius genesis præesse: superior ille ferè est, aut certè æqualis in regimine ipse Mercurius.

V. Solis tuberculum Saturni ferè characterem ostendens, non admodum faustum habetur: inimicos sic multos concernit absque causa, invidia comitante: Idem Luminaria tantoperè à Saturno infestata præsagiunt. Difficultates negociorum ex hominum iniusta

invidia,

invidia, iudicabis certissimè, quoties Solis locus literam græcam χ gestat, ita ut linea dissecans illam quæ in ipso tuberculo erecta est, ab interstitio minimi atq; annularis descendat: qualem descensum cingulum Veneris solet describere.

VI. Venus in monte suo tres lineolas claras efformans, ê re uxoria censum aliquo modo augebit: Vti in secunda domo reperta eadem ad sortem, haud obscurè spondet.

VII. Vitalis tribus in locis minusculatum linearum transitu vitiata, ternas satisq; graves ægritudines obnunciat; circa annum ætatis tricesimum secundum, quadragesimum atq; circa quadragesimum quintum: Si deduxeris Horoscopum ad Martis quadrangulum, tum Lunam itidem ad eiusdem Martis Saturnivè insuper quadratum, procul dubio tempora nominata erues.

EXEMPLVM XII.

Natus est præcedentis frater A. C. 1583. Iunij d. 27. h. $11\frac{1}{2}$ p. m.

I. Linea vitæ alterius interventu turbata, ægritudinem sic notat circa annum ætatis 20. Absq; dubio eo tempore directio Horoscopi ad Martis quadratum decedet: Vti Lunæ quoq; progresio ad ipsum Saturnum: quæ directio tamen, propter Iovis præsentiam, non tantoperè timenda est.

II. Saturno ac Iovi geniture dominatus cedit. Ostendit Iovis tuberculum transversas lineolas; Saturni vero stellam, quo usq; Saturnia quoq; ascendit.

III. Habes quoq; notas Mercurij ac Veneris proprijs in locis, qui sub Leone iam junguntur, haud contemnendo congressu, licet platicus is sit.

IIII. Lineolæ tres ad serientem collocatæ, peregrinationes insinuant: Vti Mars Horoscopi dominus sub Mercurij hospitio, ac Sol sub Cancro.

V. Crux Martis cavea, naturam Martiam auget ac fervorem epatis.




VI. Solis locus rimam unicam oſtendens, honores auget remiſſius. In genitura, decreta dignitatum ſunt obſcura: Sol ſaltem angulares ad Geminorum capita commoratur.

VII. Felicem eventuum actionumq; ſucceſſum pollicetur Saturnia integra: Idem præſtat coniunctio Saturni ac Iovis, octavo, nono, decimo, undecimo, duodecimoq; loco imperantium.

EXEMPLUM XIII.

Naſcitur præcedentium amborum frater A. C. 1577. Nov. d. 7. h. 3 $\frac{1}{5}$ p. m. Hæc terna exempla nuper Ratiſponæ venatus ſum.



Descensio obl: ♀ 8. 52. h. e. 18. gr. $\frac{2}{5}$ Libræ.

I. Saturnia integra, licet obliquo tramite ad sedem propriam deducta, Saturnum genituræ præesse docet. Fortunam decernit non planè adversam &c. Cætera suo ex loco huc adducito, quæ ad Saturnum spectant, haud malè collocatum. Idem tamen in culmine Veneri ac Iovi (qui dominatus in genitura sunt participes) fortunam prosperam turbat: Vti Mars quoq; in occidente alieno sub signo inventus nunciat: quæ mala in senio multiplicabuntur.

II. Venus ob latitudinem septentrionalem in limen septimi loci

recidit,

recidit, adjunctam habens Lunam ob lat: merid. oſtendit igitur eorum locus lineas ac notas ſatis concinnas: Quamvis Luna remiſſius, cum ſcilicet lumine non ſatis ſit illuſtrata, ad Solem properans.

III. Iupiter directus, Veneri adhærens propè Virginis ſpicam, regionem ſuam ſatis decenti lineola exornat: Sed tamen à Saturno premitur. Ingentes ſic collocatum ad Venerem, largiri divitias ex matrimonio, multoties obſervavimus: Quam in rem hîc conſentit Veneris conditio ac ſortis.

IIII. Via Solis aliquomodo ſeſe oſtendit, honoribus amica: Is planeta angularis ſub *Scorpio* & *ad cor Scorpij*, minimè eſt improbandus.

V. Mercurius retrogradus ſub ſuo detrimento, in octavo cœli loco, multoperè debilis cenſetur: aliquomodo â Venere ac Iove refocillatur. Vides igitur hoc tempore in eius regione nullam inventam ſignaturam.

VI. Non diſſentit ab hoc ſtellarum habitu, menſæ debita amplitudo.

VII. Crux illa ſupra reſtrictam ſenectutem tranquillam promittit: Verum Saturnia abnegat. Sed cum Crux illa formetur à lineola illa, de Vitali deſcendente Venerisq; regione; vide ne infortunium litesq; adferat ab vxoribus: &c. Alia cuiuslibet ſagacitati ſint commiſſa: Quamvis fateri cogimur, omnes inciſuras *minutatim* neq; hîc neq; alibi eſſe depictas.


EXEMPLVM XIIII.

Naſcitur quidam in Thuringia A. C. 1 5 8 6. Decemb. die 3. h. 7 $\frac{1}{2}$ ante merid. ſub elevat. poli 51. gr.

Supra in exemplo quinto eandem ferè poſitionem habuimus: Diſtantia natalis utriusq; eſt duntaxat dierum quinq;. Lineæ principales in ſitu atq; conformitate conveniunt: In reliquis eſt aliqua diſcrepantia: non tamen valde notabilis.

I. Linea Vitalis variè diſſecta eſt circa finem ac medium. In

ſenio



ſenio igitur valetudinem notat adverſam. Lineolæ binæ eandem transſitu vitiantes, inq; Martiam caveam deſcendentes, martiales infirmitates corporis inſtare monſtrant circa annum ætatis quinquageſimum ac quinquageſimum ſecundum, Metuenda tum quoq; vulnera in capite pedibusvè.

II. Saturnus itidem è loco ſuo ad tranſitum obliquum lineam demittens, virus aſperget ſuum ad idem tempus: Vnde infortuniorum illud erit pleniſsimum. Morbus quoq; expectandus circa annum ætatis undecimum; quoniam Vitalis contactu Cephalicæ ibi

notata est. Horoscopus eo tempore ad Martis quadrangulum decedet.

III. Cephalicæ ductus ad mensalem usq; ingenio præsto est: In genesi Mercurius non malè collocatur sub orientem in Saturni trigono: Sed tamen idem Mercurius alienum signum occupat, pressus insuper à Martis quadrato: Vndè Mercurialem regionem leviter cernis notatam.

IIII. Crux in Martis cavea, Martiam naturam epatisq; fervorem notat; atq; in peregrinationibus periculum ac vulnera: In figura Mars ex nona plaga Solem quadrangulari intuitu oppugnat: Luna quoq; in Saturni quadrato itidem versatur.

V. Ea linea, Vitali ferè parallela, multa adfert itinera, non lucrosa tamen, quod sit decurtata ac tortuosa. Itinera etiam concernunt lineolæ binæ, in Lunæ tuberculo conspicuæ. Præstat idem in gen: ♂ in nona sub ☿ hospitio: dein: ☿ in prima; ac Luna in signo mobili.

VI. Venus ac Iupiter aliquomodò suis in locis beneficium suum ostendunt. Sed in exemplo quinto Iovis mons est incultus. Quod igitur hîc præsidium suum monstret, ex Novilunio, nativitatem antecedente in Sagittario, emanasse certum est, ubi dominium præcipuum obtinuerat. Supra in quinto exemplo talis potestas, penes Iovem nondum erat.

VII. Honoribus præterea favent spica Virginis cum nodo Lunæ evehente in Cœli apice, tum Aquila quoq; ipsa iam exoriens. Solis itidem positio sub sua triplicitate in angulo: Vti etiam propriè in monte lineolas binas gestat.


EXEMPLVM XV.

Nascitur præcedentis frater A. C. 1589. Aprilis die 24. manè hora quarta.

Diversam faciem utriusq; manus hîc apponimus.

I. In dextra conspicitur Epatica, sed concavum manus non exit. Sic igitur vitæ brevitatem indicat; maximè quoniam à Vitali, ad epa-

ad epaticæ finem, linea quædam transversim dimittitur, illius progressum quasi interrumpens. Eadem Vitalis in sinistra recipit lineam ex Saturni tuberculo exorientem. Locus in Vitali ab illa tactus ac ferè disruptus pertinet ad annum ætatis 25. circiter, quo absque dubio Horoscopus progressu corpus Saturni attinget: Venus quidem præsens est, sed alieno in signo: Vnde tunc difficulter evadet natus. Ascensio obli: ♄ habetur 34 $\frac{3}{6}$ hoc est, quintus gradus Geminorum.



II. In sinistra deest Epatica, demittunturq́ e vitali ad mensalem binæ lineæ ferè parallelæ: Epatis imbecillitatem arguunt, malamq́ eius compaginem: tum quoq; ingenij pravitatem atq; morum.

III. Etsi autem minimè tardum ingenium efficit Venus in ipsa orientis linea (propter latitud: sc. meridionalem 1 $\frac{1}{5}$ gr.) Attamen sub Martis hospitio seu signo alieno, natum inclinabit ad quævis flagitiorum genera, ad petulantiam, lasciviam, incontinentiam &c. Idem ostendit Mars geniture dominus participante Venere, Mercurium sub Tauro retrogradum ex oppositione angulari impugnans: Denotat igitur seu potius efficit pugnacem, contumacem, violentum, parum fidelem &c. Quæ omnia ex mala dispositione linearum in manu manifestè decernuntur.

IIII. Cephalica sinistræ, ingenij vim auget: ut Mercurij quoq; tuberculum consentit, leviter tamen: quoniam duabus saltem incisuris notatur ad manus exitum. Venus tres sat claras in regione sua exhibet incisuras: quod reliquum est spacium, incultum reperi.

V. Soror Martia apparet in dextra: Sed in sinistra minimè. Iracundiam infert & ad bellicas artes invitat: quales sunt pugillatoria, fabrilis, omnis generis instrumenta bellica atq; arma extruens. Scilicet hoc restabat, ne Mars sub angulo atq; in propria domo inventus, in manu ociosus conspiceretur. Sed tamen retrogradus, militiam infelicem reddit, aliasq́ adversitates obijcit, in senio præsertim. Idcirco cum lineam propriam in manu utraq; neq; ostendat, neq; in altera decenter productam exhibeat, eius decreta imperfecta atq; minus prospera judices.

VI. In sinistra variè tacta est vitalis: Tot igitur morbos numeres futuros, puta circa annum ætatis 7. 14. 25. 32. &c.

VII. Crux triplex circa Vitalem per Martis locum, Martis præsidium confirmat: Sed in re uxoria adversam fortunam, ac malam fidem nunciat. In genesi planè suspecta est eo positu Venus, maximè quod hospitatorem suum in occidente habeat collocatum.

g. Saturnia

VIII. Saturnia insueto tramite descendens, fortunam plane corruptam arguit.

IX. Illa supra restrictam ad Lunæ regionem abiens, itidem adversitatum inimicitiarumq; occultarum nota est. Et sanè nihil ferè in genitura hac conspicitur, quod ad fortunam prosperam esset dispositum.

X. Duæ lineæ in Lunæ tuberculo, peregrinationes indicant: Vt Luna quoq; in domo nona, & Mercurius in prima.

XI. Abiectissimè collocatus est Iupiter: qui tamen locum suum lineola aliqua exornavit. Is triangulum constituit sub terreis signis, fulgente Luna in aspectu illius sinistro, Sole vero atq; Mercurio, in dextro. Quapropter adversa quæq; mitigat, fortiterq; declinat, præsertim quæ ad animi impedimenta pertinent.


XII. Sol collocat⁹ est in angulo, oriturq; exactè cum Pleiadibus; deniq; trigono Iovis exponitur: Vnde sub eius monte crucem parvam conspicis, notantem, quod hic non planè obscurus sit victurus. Hæc diversitas linearum in manibus ex impedita imaginatione macrocosmi dimanat, ut suo loco edicemus.

EXEMPLVM XVI.

Nascitur quidam in Thuringia A. C. 1592. Martij d. 24. h. 3. min. 11. p. m. n. polo 51. gr. elevato.

Apposui hîc quoq; utranq; manum, propterea quod in sinistra, thoralis sive mensalis & aliæ quædam minus principales lineæ alia facie invenirentur, atq; in dextra.

Investigabimus iam ex quæstione, supra ad initium tractationis huius posita, utrum sinistra vel dextra commodius assumenda sit, ut constans hinc extruamus iudicium: An vero ambæ manus sint adhibendæ. Vtranq; enim satis claras lineas exhibuisse depræhendi. Ergo cum de nocte matris ex utero prodierit hic ipse, signo masculo exoriente, Ioveq; inprimis ac Venere geniture dominatum tenentibus; Iam nihil certi apparet, utra manus sit eligenda:



Descensio ob: ☿ 357. 18. ortus 23 $\frac{1}{2}$ pisc.

quoniam ex æquo testimonia illa certant. Ascendit signum mascu-lum: Planeta itidem masculus præest. Nocturnum est geniturae tempus, fœmininum sexum referens: Venusq; itidem, eiusdem se-xus stella, principatus est particeps. Quapropter his ita se haben-tibus utranq; retinere cogimur, conciliatione adhibita. Eandem praxin in manus electione præcedens exemplum refert.

I. Venus recte se habet in utraq; manu, quoniam utrinq; in loco suo stellam ostendit. Libidinosum indicat, quiq; ad volu-

ptuaria

pluaria quæcꝫ feratur magno impetu: Vti luxuriat quocꝫ ea- dem stella proclinatione simili, sub propria exaltatione ad orientem inventa nobiliter. Locus eius desumtus est ex Alphonsi calculo, qui in eius loco determinando certior est: ~~Alias demendæ fuissent ab eius loco $\frac{5}{6}$ gr. Et sic locus eius in gradu Aquarij 29. mi. 38. haberetur.~~

II. Iovis locus itidem in manu utracꝫ probè cernitur affectus: perinde ut is in genesi propriam occupat domum, atcꝫ per opportunam cœli plagam. Vndecimus enim cœli locus, gaudium Iovis nuncupatur. Ambæ hæ stellæ, tam nobili favore genituram administrantes, fortunam splendidam concernunt stabilemcꝫ: excepto Saturni loco.

III. Is enim captivitatem infert, leviorem tamen, quia scilicet cadit sub Cancro, prærogativam duodecimæ posſidens. In manu dextra demittit lineam ultra Martis locum, sed mox recurvatam versus ferientem: Rectiorem autem in sinistra. Progressus M. cœli ad Saturni oppositum, ostendit annum 36. vel 37. quo tempore alij quocꝫ characteres in eius tuberculo sese ostendent, infortunium illud præ foribus esse significaturi.

IIII. Peregrinationis linea è Martis cavea procedens restrictam versus, in sinistra conspicitur: In dextra vero concisa ea est, & ad Cephalicam sese insinuat. Hinc diversam fortunam in peregrinationibus depræhendimus. Venus noni loci domina in ortu, prosperat itinera: Mars in tertia, illam prosperitatem impugnat: Sed vincit tamen Venus. Mars eo in loco taliter inventus litigia maxima cum fratribus aut propinquis nunciat.


V. Parallelæ tres utrincꝫ, à Solis ac Mercurij tuberculo ad Vitalem deductæ, fortunam concernunt in Patria terra, ab aulicis, literatis, ac fœminis nobilioribus rectè obventuram: quæ decreta confirmantur ab illis parvis, in mensa dextræ manus inventis. Hæc omnia simul in genitura dependent á Iove, Venere, Sole,

VI. Mercurii locus non planè sterilis habetur: Vnde is ingenio non deest. Subsidio ei sunt Cephalica ac genituræ dominatores.
VII. Mensalis in dextra, integro itinere manum extremam attingit. In sinistra vero, eadem linea Mercurij tuberculum non pertransit: Illinc igitur membrorum principalium genitaliumvè robur designat: Hinc verò in ijsdem, in genitalibus præsertim, damnũ aliquod: Quale illud futurum sit, non ita audacter pronunciandum.
VIII. Epatica in dextra, extremitatem ferientis non exit, uti fit in sinistra: Hîc decrepitam senectam indicat; Illic non item, quamvis sit satis decenter producta.
IX. Vitalis in utraq; manu tum ductu tum etiam contactu aliarum congruit. Capillamenta igitur in eius exordio, morbidam infantiam præsagiunt. Alij morbi prænotantur circa annum ætatis 14. 21. 25. 32. &c. Quinquagesimum sextum itidem observabimus: Vbi si malum apoplecticum impunè hunc natum præterierit, longiores ipsi vitæ annos pollicebimur; Illa eadem tempora absq; dubio directionibus suis respondebunt.

EXEMPLVM XVII.

Natus est alius in Thuringia sub polo 51. gr. A. C. 1588. Septemb. d. 21. hora septima matutina.
I. Quæ stellæ dominantes in genitura habentur: Eæ quoq; in manu ipsa perbellè cernuntur: puta Venus, Mercurius, Iupiter, Mars. Via Solis ac Saturni dissecta est: Lunæ regio obscuriorem picturam refert.
II. Venus igitur stellam suo in loco ostendens, animum indicat lascivum, ingeniosum, hilarem &c. ut supra pag. 7. de eius ingenio scripsimus. Rectißimè igitur Veneris positura & in manu & in genesi congruit: Hîc enim sub propria domo in ipsa orientis linea emicat. Ascensio eius obliqua habetur $202\frac{1}{4}$, h. e. $15\frac{3}{4}$ Libræ.
III. Mercurius pari ratione præsidium suum feliciſsimum monstrat, proprio in loco stellam crucemq; & incisuras appositas exhibens;

bens: Vti in genitura ipſa nobiliſsimè collocatus eſt, propria ſub domo cœli locum competentem poſsidens: Vnde quæ eius ſunt ingenij, cumulato favore confert: Vide hæc ſupra, ubi de Mercurij dominio egimus, Pag. ſcilicet 9.



IIII. Veneris laſciviam luxuriamq; incontinentem admodum, confirmat cingulus Veneris non obſcurus: Idem ſub Saturni ac Solis digito interciſus, ob libidines damna nunciat: confirmatur hoc decretum à Venere, in ortu per Libram retrocedente,

V. Cernis etiam Iovis præsidium, incisuris & cruce duplici notatum. Honoribus favet, reddit spectabilem, lætum &c. peculiariter insperatum ibi auxilium suggerit. Directus is est in genitura: ac licet in detrimento suo versetur, gaudet tamen eo loco cœli, propè caudam Leonis ac Lunæ nodum evehentem; dispositore eius feliciter se habente. Quin & Marti junctus est intra decē partes. Pulsatur autem á Saturni quadrangulo: Vnde de favore suo aliquid amittit.

VI. Martis Soror quidem adest, attamen obscuriori ductu, rimā demittens ad Iovis tuberculum. Dixi supra, me ex tali Sororis Martiæ effigie, sæpenumero depræhendisse Iovis ac Martis conjunctionem in genituris. Mars igitur ita inventus propè Basiliscum seu Regulum, animositatem auget iracundiamq́: Sed & litigiorum finem optatum significat. Idem Lunæ adversus, propter oppositionem partilem, adversitates aliquando adducit in honoribus, matrimonio, filijs, re pecuniaria: Insuper populi favorem ita inventus subtrahit.

VII. Optimè conformantur Epatica, Cephalica, Triangulus, & deniq; ipsa mensa. Præterea eadem mensa à lineis, de Veneris regione istuc deductis, appositè exornatur. Ex his omnibus in universum non solum valetudinem prosperiorem deprædimus, sed & ingenium, animi dotes optimas, dignitates eximias: Præsertim intra patriam: ex rebus Veneri sacratis.

VIII. Linea illa, è Vitali curvo tramite per concavum & epaticam ad ferientem in mensa abiens, quò aliæ quoq; incisuræ tendunt, infra Solarem regionem; litigia videntur mihi significare in senio propter honoris existimationisq; tutelam.

IX. Via lactea per se probè exarata, cerebri nunciat bonitatem, mulierum gratiam, sermonis suavitatem: felices deniq; peregrinationes: Vti quoq; in genesi ipsa Mercurius, noni loci dominus sub propria prærogativa, sed & in cœli loco competenti, atq; extra maleficorum radios.

XI. Aliæ lineæ intricatæ in Triangulo, confusa negocia præsagiunt in ijs rebus, quæ ad Martem, Lunam atq; Mercurium pertinent.

X. Solis

XI. Solis via interrupta est á cingulo Veneris: honoribus ex re uxoria labem illatura.

XII. Saturni tuberculum eam notam ostendit, quam supra in exemplo quarto cernimus; podagram minatur, ac Saturnias aliquas ægritudines non leves: quod ipsum é Saturni stella, in mortis plagam recidente, deprahenditur, Lunam Martemq́; quadrangulo platico lædente.

XIII. Vitalis aliquoties tacta ab alijs, alicubi etiam prorsus intercisa, morbos notat circa annum ætatis 14. 20. 24. 30. 48. &c. Horoscopus procedit ex Libra in Scorpium circa annum ætatis 20. atq; ibi in Martis terminis commoratur per novennium. Saturnus inauspicatus in genituris, post primam revolutionem, h. e. post annum 29. ac 30. (quanto temporis spacio signiferum permeat) virus suum vehementius evomere consuevit. Quid crux apposita, supra restrictam inventa, denotet, sæpius dictum est. Reliquæ incisuræ præsertim quæ Saturniam videntur adumbrare, satis exiles atq; obscuræ hoc tempore sunt inventæ.

EXEMPLVM XVIII.

Natus est quidam Erphordiæ Anno Christi 1589. Maij d. 8. h. 1 $\frac{3}{4}$ p. m.

I. Genituræ dominatus cedit Veneri, Mercurio, Iovi. Idcircò vides loca eorum satis decenter exornata.

II. Hinc igitur ingenium felix, & alia prædicimus, quæ á Iove, Venere ac Mercurio defluunt.

III. Ingenio, alijsq; animi ac corporis dotibus, subsidio est triangulus, optima conformitate productus.

IIII. Lunæ quoq; præsidium indicat eius regio, non abjectis incisuris notata: Itineribus prosperis favet, splendorem corpori moribusq; addit, mulierum gratiam conciliat: quod ipsum planè designat sub Cancro, in cœli culmine.

V. Iovis lineæ aliquantulum turbantur: Vnde eius conditio

mediocris censenda venit. Honores quidem designat non abjectos, sed tamen non sine difficultatibus, sine impedimentis.



VI. Veneris Mercurijq; congressus Venereo in signo ac Iovis trigono partili, perquam felix habetur. Idcirco ad artes quoq; Veneri ac Mercurio dedicatas, animum excellenter inclinat. Eloquentissimum hominem futurum video. Hunc congressum, hocq; ipsum decretum non obscurè indicant binæ illæ lineæ parallelæ, à Mercurij regione ad Veneris regionem protractæ, instar scalæ. Hanc ipsam picturam

picturam in exemplo xv. ferè conspicimus: cui puero linguæ volubilis ac festinanter pronunciantis non deest beneficium.

VII. Saturnus ominosa signa ostendit suo in tuberculo, quæ vulnera graviaq; alia accidentia significant. Quin eiusdem sub monte, â thorali in manus concavum descendens linea, præcipitium minatur, aut submersionem. Tale quippiam in genitura indicat Sol, læsus â Saturno per coniunctionem, prope Hyades; Marte, octavi loci domino, in detrimento suo versante.

VIII. Vitalis tripliciter tangitur: Primò, â Cephalica: sed quia ibi Vitalem minimè perrumpit, non adeo gravem ægritudinem illam iudicemus. Luna ad Martis quadratum descendit circa annum ætatis 18. Deinde ad reliquas incisuras congruet absq; dubio Horoscopi progressus ad Martem circa annum ætatis 47. Et Lunæ demum ad Saturni quadrangulum circa annum 54. quibus pericula illa violentæ mortis nato sunt præcavenda.

IX. Mensa optimé exarata, ingenij temperamentiq; bonitatem confirmat ac fortunæ secundæ constantiam. &c.


In his exemplis quilibet harum rerum cupidus sit admonitus, omnes incisuras lineolasq; in universum á nobis non esse depictas: partim quod maximè exiles illæ erant: partim etiam, quod tàm accuratè, ut par est, describi minimé poterant. Præterea in illis ipsis lineis, ad præcedentia exempla passim positis, observandum diligenter, alias debere esse obscuras atq; exiles, alias verò claras: Unde cautius in illis, ad alia exempla accommodandis, agendum. Solertia pictoria nunquam assequitur talem linearum formam ad amussim, qualem manus ipsæ nobis commonstrant. accommodationes aliquas

Ex genituris sæpé præterivimus, quod illa decreta, tanquam per se nota, nauseam ferè commovissent legentibus.

EXEMPLUM XIX.

Ut negotium præsens commendatiori exemplo absolvam,

Chiromanticæ praxi integrum genituræ iudicium subiungam; qualiter amico cuidam Saxoni, annis ab hinc duobus fere, descripsi: Natus is est A. C. 1561. Ianuarij d. 17. h. 13. $35\frac{2}{3}$ p. m. sub elevatione $54\frac{3}{4}$.



Quinq; hîc reperiuntur erraticæ, proprijs sub prærogativis excellenter collocatæ: Saturnus atq; Mercurius ex domibus sunt recepti, & in triplicitate sua versantur: sic Iupiter ac Mars ex ipsis domicilijs permutatis potestatem debitam sibi arrogant. Venus item

sub

sub propria exaltatione in angulo subterraneo commoratur. Luna demum in triplicitate sua est; sed debitum lumen à Sole nondum adepta, multoperè iam silet. Mercurius ac Saturnus per trigonum egregiè uniuntur. Pars fortunæ cum corde Scorpij cooritur. Genituræ dominatus cedit inprimis Veneri ac Iovi; tum etiam Saturno ac Mercurio, &c.

1. Vita longæva conijcitur ex Horoscopo ac Luminaribus non impeditis; licet Luna à Marte per quadrangulum prematur: Abeat tamen pri⁹ horoscopi processus ad Saturni oppositū, de quo postea.

2. Temperamentum omninò æquali humorum mistura excellit; quoniam à Iovis ac Veneris perfusione fermentum inprimis recipit suum: Saturno ac Mercurio melancholicum succum laudabiliter aspergentibus.

3. Hinc vis illa videndi repræsentandiq́ (phantasiam vulgus nominat) nil nisi moderatum, rationiq́ consentiens spirat; Idcircò natos suos efficit probos, rectos, sapientes, quietis ac tranquillis consilijs deditos; recta honestaq́ ubiq́ sequentes & in iudicando & in consulendo: Quos etiam laudis gloriæq́ cupiditas multoperè ad se trahit: in quibus tamen assequendis non recedunt ab insita modestia ac temperatione, neq́ à bonis artibus, quibus honor ac vera gloria comparari solent. At quia Saturnus atq́ Mercurius, excellenter simul collocati (propter receptionem trigonumq́ aspectum partilem) vires cumulatè conferunt suas; natum faciunt abunde diligentem, in artibus negotijsq́ suis; ita ut in ijs administrandis singulari utatur sedulitate ac cura; sciscitetur occulta, studeatq́ incumbens ad arcana penetrare, rerumq́ naturæ causas inquirere: civiles constitutiones non ignorare; hominum explorare secreta: In universum, ad omne genus scientiæ tales invitantur. Venus dominatus in genesi inprimis particeps, nati commotiones efficit iucundas, hilares, voluptuarias; ita tamen, ut beneficentiæ studeat amicitijsq́, quarum erit observantissimus. Quo fit, ut gratus sit omnibus, abhorreat à turpibus, capiatur munditijs, leporibus, cultu, ornatu, elegantia.

4. Venus igitur cum Iove felicitatem promittit maximam, in negocijs tum politicis tum etiam Ecclesiasticis.

5. Ingenii excellentis decreta sunt apertissima: 1. Mercurius sub Aquario per se ingenij vires suscitat. 2. Iam vero & à Saturno ex domicilijs recipitur, & trigono eius partiliter illustratur. 3. Venus angularis idem efficit; 4. maximè verò Luna ac nodo evehenti ibidem repertis. 5. Mercurius quidem ac Luna asyntheti sunt, sed tamen uterque Horoscopo per aspectum adhæret; hæc per triangulum platicum; ille per quadratum partilem.

6. Iupiter secundæ dominus, directus, à Marte receptus, divitias apertè promittit permultas. Auget hoc significatum excellentius pars fortunæ, in secundo loco reperta sub Iovis dominio aspectivè. Augmentum divitiæ acquirent suum ex servitijs fideliter præstitis, ex honoribus dignitatibusque eminentissimis, in tertia seu ultima ætate abundantius.

7. Mercurius, culminis hospitator, cum Saturno opportunum habens commercium, haud obscuras dignitas præsagit. Antea quoque de Iovis Venerisque præsidio diximus, qui cum genituræ dominatum pari potestate assumant, quî fieri potest, ut natum charissimis quibusque dignitatibus non cohonestent?

8. Damnum in re familiari aliquando dabunt propinqui; tum quoque in extructione ædificiorum plurimum expendes.

9. Mars in sexto loco dominator, infirmitates suscitat calidas, sed non adeò vehementes propter Iovis interventum. Cæterum Mars sub Sagittario plerunque tartarum procreat in pedibus: Eo sub signo in sexta si reperitur, podagram infert inevitabiliter; cuius insultus quidem non tolluntur, nisi ex influentia Sagittarij, Pisciū &c. de cœlo ipso deducta &c. Etiam remedia quædam plurimum possunt, sed artificio tamen haud vulgari parata.

10. Mors omninò naturalis futura est ex Chronica aliqua infirmitate, Saturni inprimis, ut sunt destillationes ad fauces, pectus, pulmones, lienem &c. quamvis senectus ipsa per se morbus sit, atque ad mortem ipsam aditus facilis.

11. Peregrina-

11. Peregrinationes honorificas decernit Sol ac Luna, noni loci dominium ſuſcipientes. Mercurius in tertia, laudabiliter collocatus, itinera affert, quæ honorum dignitatumq́ꝫ gratia ſuſcipiuntur, & ad perſonas literarum cultura, dignitateq́ꝫ tum politica tum Eccleſiaſtica ſpectatiſsimas, diriguntur.

12. Venus, undecimi loci domina, amicorum optimorum concernit multitudinem, Mars tamen, Venerem de quadrato conſpiciens, aliquorum ſuſcitabit invidiam, litigia ſæpenumero ſeminantem; ac bona quæq́ꝫ invertentem.

13. Victoriam de inimicis, quorum quidem paucitas denunciatur, eadem Venus afferet: quod ſeptimæ plagæ præſit, atq́ꝫ angularis ſub propria exaltatione reperiatur.

14. In contrahendo connubio res benê cadet quo ad bonorum affluentiam. Tamen infidelem hac in re rixoſumq́ꝫ Martis quadratum, luxurioſumq́ꝫ, ſuſpice. Sed hoc negotium ut plurimum ex libero hominis arbitrio pendet; & iuvenilis ætas præ imperitia ac temeritate, ſua damna perſæpe experitur.

Jam conſiderabimus ſigna per 4. cardines dislocata.

15 Scorpius in aſcendente, naſcentibus largitur ingenij acumen, ornatum, dicendi copiam. Vitia quoq́ꝫ inſtillat ſæpè maxima, infidelitatem, invidiam, avaritiam, ingratitudinem; quæ literarum ſcientia rectaq́ꝫ exterminat ratio. In prima ætate multis ſunt laboribus oppreſsi, atq́ꝫ diverſo infortuniorum genere laborant: Sed procedente tempore ab ijs liberantur, ſi Iovis Veneriſq́ꝫ beneficium adfuerit, uti in præſenti tua genitura. Quin patriam quoq́ꝫ mutant domiciliavè; amicorum cauſa ſæpè in pericula incidunt.

16. Virgo culminans, natum ipſum ad magiſtratus adminiſtrationesq́ꝫ extollere ſolet: confert magnæ poteſtatis licentiam. Multa is in alios beneficia transfert, â quibus diſparem reportat gratiam.

17. Taurus in occasu, adversarios tibi obijcit tales, quos ipse tandem infortuniorum genere videbis oppressos, proclives ibi facit in amores, luxus, delicias, iocos.

18. In imo positi pisces, multam fidem, integritatem, ingenij dexteritatem instillant natorum animis; quam ob rem magnam sibi autoritatem in administrationibus suis ij conciliant. Ad aquas libenter ipsi deambulant habitantq́; Sed à re uxoria ferè abhorrent.

Planetæ in cœli domibus.

19. Sol in tertia, itinera decernit in causis honorum ac dignitatum: affert mutationem locorum; honorem extra Patriam.

20. Mercurius ibidem, benè positus, reddit doctissimum in omni scientia, cuius generis exempla depromere possem innumera: ij proprio ingenio multa inveniunt: fortunati sunt in rebus Ecclesiasticis, scriptura, mercaturis.

21. Venus in 4. excellentissimè collocata, dabit tibi possessiones habitationesq́ magnificas, in ultima præsertim ætate: finem vitæ tibi declarat honorificum ac laudabilem.

22. Mars in prima, non malè sese habens, facit animosum, præcipitem, ac subiracundum: interdum vulnera in capite ac faci præsagit.

23. Iupiter in quinta, magnorum Virorum aliquando munera conferet maxima: fortunatum in legationibus efficit.

24. Saturnus in octava sic nobiliter repertus, hæreditates multas confert: mortem concernit ex catharris, tussi &c. sæpè etiã ex peste.

Planetæ in signis.

25. Sol in Saturni domo, Vitalem virtutem efficit robustiorem ac quasi compactiorem; unde vitam longiorem pollicetur.

26. Luna in Iovis hospitio, bona quæq; promovet: hic tamen à Marte læsa quadrangulariter, contentiones aliquas in possessionibus excitat: febriculas sæpius reiterat.

27. Saturn

27. Saturnus in Mercurij domo, ingenium dat profundum, sciencias occultas.
28. Iupiter in Martis hospitio, non malè affectus, victoriosum efficit.
29. Idem Mars in Iovis domicilio denunciat; ambo hac ratione natum apud principes Magnatesq́; acceptum reddunt cum autoritate.
30. Venus in Iovis domo, multa confert bona vel per mulieres, vel per munia Ecclesiastica: facit discretum, honestum, integrum: aliquando rixas cum propinquis tuis adducet, & cum amicis quibusdam, quoniam *Martis quadrangulo* exposita est Venus.
31. Mercurius in Saturni hospitio, semper ingenium profundum instillat, *omnium* sciencia rum cupidum.

Locorum præpositi.

32. Dominus Horoscopi à Iove receptus ex domibus, generositatem animi apertè indicat.
33. Hospitator secundæ domus in quinta, censum auget ex muneribus, quæ à magnificis Dominis conferuntur.
34. Dominus tertiæ in octava, itinera efficit aut propter demortuos, aut pestilentiæ causa: sæpè fratres maiores interimit.
35. Dominus quartæ in quinta, fortunatum efficit in agricultura aut navigationibus.
36. Dominus quintæ in quarta, gaudium delectationemq́; nato affert ex rebus immobilibus, ut ex ædium splendidarum extructione; hortorum elegantissimorum cultura: significatum illud hoc in loco Venus confirmat indubitanter, quoniam sub ipsius dominio eiusmodi res continentur.
37. Mars, sextæ dominus in primam sese insinuans, aliàs multas calidas excitat ægritudines; sed hîc à Iovis receptione temperatur.
38. Dominus septimi loci in quarta, litigia obnunciat ratione hæreditatis paternæ aut uxoriæ: præsertim quoniam hîc à Marte truculentius conspicitur.

39. Dominus octavæ in tertia, facit ut natus sit superstes omnibus suis fratribus: Sæpé mortem extra patriam designat.

40. Dominus nonæ in tertia, peregrinationes affert dignitatum gratia.

41. Decimæ in tertia, excellenter positus, efficit honoratiorem suis fratribus omnibus.

42. Vndecimæ in quarta, fortunam secundam decernit circa bona immobilia præsertim in senio.

43. Duodecimæ dominus in quarta, simultates contentionesq; insinuat propter possesiones ac bona Ecclesiastica. Hæc satis sint in generalibus decretis.

Iam si manus lineas principales considerabimus, eadem significata ubiq; depræhendimus, curta tamen suppellectile significatorum. Diximus ipsa teste experientia, lineas minus principales suo tempore variari, pro locorum cœlestium stellarumvè significatricium progresionibus: Quo fit ut ex ijs rectius aliquid investigemus, quando illæ aut de novo oriuntur, aut clarescere incipiunt.

1. Vitalis continua quidem est, sed incisuris tamen notata, licet levioribus. Morbos hinc aliquos iudica circa annum ætatis 14, 30, 40, &c.

2. Venus in genitura bene se habet: Sic igitur regionem quoq; suam consuetis sulcis exarat.

3. Epatica satis decenter producta, atq; à sectionibus libera, bonam epatis temperiem ostendit, sanitatemq; atq; satis longævos annos.

4. Ramosa est mensalis, divitiarum augmento studet.

5. Mensa ipsa satis decenti spacio concinnata est, Iovis characterem è regione annularis perspicuè gerens; Honorum, præsertim Ecclesiasticorum, splendidissimum argumentum.

6. Idem indicat Iovis locus, clarissima lineola depictus; Vel Solis quoq; tuberculum nequaquam ineptè exaratum.

7. Lunæ regio, clariori incisura conspicua, peregrinationes notat.

8. Conspi-

8. Conſpicuum quoq; eſt Mercurij præſidium, ſuam regionem optimè exornantis, uti quoq; primam minimi digiti iuncturam.

9. Ingenio favet Cephalica, decenter triangulum efformans: Eidem rei præſtò ſunt Iupiter, Venus, Mercurius.

10. Saturnus etiam ſignificata quædam inſinuat, præſertim morbum aliquem, ſub ſuo digito characterem geſtans.

11. Lineæ parallelæ per mediam manum ferientem verſus, felicitatis argumenta confirmant.

12. Saturnia, ad Epaticam usq; producta, iudicij ac morum rectitudinem notat: Eadem crucem habens ſupra reſtrictam, tranquillam atq; honoratiſsimam ſenectutem arguit.

Electiones generales.

In pharmacorum purgantium uſu, obſervabis Lunæ decurſum in Scorpio, Aquario ac tertia Piſcium decade: Iovi tamen iuncta ea non ſit, uti nec ipſi Veneri. Horum enim congreſſus cum Luna, vim purgantis medicamenti inhibet: quoniam corpori ſtudent, atq; medicamentum ad nutrimenti naturam proclinat. In alijs actionibus, (ut in ædium emtione, in peregrinationibus adminiſtrationibusq; noviter auſpicandis &c.) Luna perluſtret Arietem, Taurum, Cancrum, Leonem, Libram, Aquarium, in aſpectu alicuius fortunæ. In his ipſis dies Mercurij, Iovis, Venerisq; auſpicatiores ſtatues.

Ne autem mutilata ſit hæc genitura, ſtudioſis aſtrologiæ eam integrè ut confeceram, exhibeo: maximè verò, quod de vulgarium numero non ſit, ac ſatis diligenter concinnata.

Speciale iudicium huius genituræ, exhibens principalium locorum progreſsiones, earumq; decreta.

1. Horoscopus ad corpus Martis.

Martis locus	3. 10. Sagit.
Latitudo	0. 6. Sept.
Declinatio	20. 56. M
Ascensio recta	241. 6.
Circulus posit.	54. 45.
Differt. ascens.	32. 47.
Ascens. obl.	273. 53.
Directio quæsita	29. 40.

Est autem ascensio obliqua Horoscopi 144. 13.

2. Horoscopus ad sextilem Solis.

Sextilis Solis	8. 0. Sagit.
Ascens. obl.	280. 32.
Direct: quæsita	36. 19.

3. Horoscopus ad cor Scorpij.

Cor Scorpij	3. 45. Sagit.
Latit.	4. 0. M.
Declin.	24. 53.
Ascens. R.	240. 53.
Differ. asc.	40. 52.
Ascens. obl.	281. 45.
Dir. quæsita.	37. 32.

4. Horoscopus ad Saturni oppositum.

Satur. oppos.	13. 40. Sag.
Latitudo	2. 20. S.
Declin.	20. 10. M.
Asc. R.	252. 34.
Differ. asc.	30. 36.
Asc. obl.	283. 10.
Dir. q.	38. 57.

5. Horoscopus ad Trigonum Iovis dextrum.

Trig. ♃	19. 30. Sagit.
Latit.	0. 43. S.
Declin.	22. 23. M.
Asc. R.	258. 36.
Differ. as.	35. 41.
Asc. obl.	293. 17.
Dir. quæs.	47. 4.

6. Horoscopus ad 26 gr. Sagittarij, Saturni terminum, habet an. 59. 20.

7. Ad finem Sagittarij 63. 47.

8. Horoscopus ad Sextilem Veneris dextrum.

Sextilis Veneris	4. 30. Cap.
Latitudo	0. 27. M.
Declin.	23. 50. M.
Asc. R.	274. 55.
Differ. asc.	38. 36.
Asc. obl.	313. 31.
Dir. quæsita	69. 17.

Directiones Solis.

Solis locus	8. 0. Aqu.
Declin.	18. 19. M.
Distantia ab I. C.	23. 47.
Circulus posit.	21. 40.
Ascensio obl.	318. 0.

9. Sol

9. Sol ad quadratum Martis sinistrum.

Quadr. Martis	3. 10. Pis.
Asc. obliqua	339. 9.
Dir. q.	21. 9.

10. Sol ad Venerem.

Venus	4. 30. Pisc.
Latitudo	0. 55. M.
Declin.	10. 44.
Asc. R.	336. 43.
Diff. asc.	4. 28.
Asc. obl.	340. 11.
Dir. quæsita	23. 11.

11. Sol ad quadratum Saturni dextrum.

Quadr. Sat.	13. 40. Pisc.
Asc. obl.	347. 32.
Dir. quæsita	29. 32.

12. Sol ad Trigonum Martis sinistrum.

Trigonus Martis	3. 10. Arie.
Asc. obl.	52. 24.
Dir. q.	44. 24.

13. Sol ad Sextilem proprium.

Sextilis Solis	8. 0. Arie.
Asc. obl.	6. 7.
Dir. quæsita	48. 7.

14. Sol ad Sextilem Saturni dextrum.

Sextilis ♄	13. 40. Ari.
Latitudo	1. 10. M.
Declin.	4. 21. S.
Asc. R.	13. 0.
Differ asc.	1. 40.
Asc. obl.	11. 20.
Dir. quæsita	53. 20.

15. Sol ad corpus Iovis.

Iupiter	19. 30. Ari.
Latitudo	1. 26. M.
Declin.	6. 20. S.
Asc. R.	18. 32.
Differ. asc.	2. 31.
Asc. obl.	16. 1.
Dir. q.	58. 1.

16. Sol ad Sextilem Veneris sinistrum.

Sextilis Ven.	4. 30. Tau.
Latit.	0. 26. M.
Declin.	12. 40. S.
Asc. R.	32. 22.
Diff. asc.	5. 7.
Asc. obl.	27. 15.
Dir. q.	69. 15.

17. Sol ad Trigonum M. cœli pervenit in annis 66. 50.

Directiones

Directiones Veneris.

18. *Venus ad Sextilem Solis.*

Sextilis Solis	8. 0 Ar.
Asc. R.	7.20.
Asc. R. Veneris	336. 21.
Dir. q.	30. 59.

19. *Venus ad Iovem.*

Iupiter	19.30. Ar.
Latit.	1.26. M.
Asc. R.	18.32.
Dir. quæsita	42. 11.

20. *Venus ad Sextilem proprium.*

Sextilis Ven.	4. 30. Tau.
Asc. R.	32. 34.
Dir. q.	56. 13.

Directiones M. cœli cuius Ascensio recta habetur 154. 13.

21. *Med. cœlum ad Sextilem Martis.*

Sextilis ♂	3. 10. Lib.
Asc. R.	182. 54.
Dir. q.	28. 31.

22. *M. C. ad Trigonū Solis dext.*

Trig. ☉	8. 0. Lib.
Asc. R.	187. 20.
Dir. q.	33. 7.

23. *M. C. ad Trigonum ♄ ac ☿*

Trigon. ♄	13. 40. Lib.
Latitudo	1. 10. S.
Asc. R.	193. 0.
Dir. quæsita	38. 47.

24. *M. C. ad spicam Virginis.*

Spica Virg.	17. 40. Lib.
Lat.	2. 0. M.
Asc. R.	195. 32.
Dir. q.	41. 19.

25. *M. C. ad oppositum Iovis.*

Oppos. Iovis	19. 30. Lib.
Latitudo	1. 26. S.
Asc. R.	198. 32.
Dir. quæsita	44. 19.

26. *M. cœlum ad trigonum Ven. dext.*

Trigonus ♀	4. 30. Scor.
Lat.	0. 26. S.
Asc R.	212. 23.
Dir. quæsita	58. 10.

27. *M. C. ad lancem Libræ australem.*

Lanx Libræ	9. 0. Scor.
Latit.	0. 40. S.
Asc. R.	216. 50.
Dir. quæsita	62. 37.

Directiones partis fortunæ.

28. *Pars fortunæ ad Sextilem Veneris.*

Sextil.

Sextilis Ven.	4. 30. Capr.
Latit.	0. 28. M.
Decl.	23. 51. M.
Asc. R.	274. 55.
Dist. ab I. C.	59. 18.
Circulus pos.	40. 20.
Differ. asc.	22. 2.
Asc obl.	296. 57.
Dir. quæsita	28. 6.

29. *Pars fortunæ ad Antiscium Martis.*

Antiscius ♂	26. 50. Capr.
Declin.	20. 47. M.
Asc. R.	298. 55.
Dist. ab I. C.	35. 18.
Circ. pos.	29. 0.
Asc. obli.	310. 26.
Dir. quæsita	48. 45.

30. *Pars fortunæ ad corpus Solis* dat annos 60. 30.

31. *Ad Trigonum Saturni.*

Trigonus ♄	13. 40. M.
Lat.	1. 10. S.
Declinatio	15. 36. M.
Asc. R.	315. 48.
Dist. ab I. C.	18. 25.
Circ. pos.	18. 12.
Differ. asc.	5. 15.
Asc. obl.	321. 3.
Dir. q.	64. 22.

32. *Pars fortunæ ad Sextilem Iovis dextrum.*

Dat annos 71. 12.

Directionum præcedentium decreta.

Anno ætatis 22. currente, Solis progresſio ad quadratum Martis, excitavit absq; dubio aliquam humorum commotionem, aut in peregrinationibus adverſitates: Sed Venus gradui directionis corpore aſsiſtens, adverſum omne facilè declinavit.

Anno ætatis 24. Sol ad corpus Veneris procedens, dignitatem aliquam obnunciabat, aut nominis commendationem apud Eccleſiaſticos atq; alios magnates. Perveniſti, niſi fallor, eo tempore ad boni illius, quod noſti, poſſeſsionem.

Anno ætatis 29. Pars fortunæ ad Sextilem Veneris dextrum, ac M. cœlum ad Sextilem Martis decedentes, bonorum incrementa negotiorumq; felicem ac celerem ſucceſſum attulerunt.



Anno ætatis 30. currente, Horoſcopus attingens progreſſu corpus Martis, & Sol Saturni quadrangulum, attulerunt humorum alterationem eam, ex qua febris illa quartana ſuſcitata eſt, quæ anno ſequenti recidiva fuit, ſed commutata in tertianam. Ex hoc accidente manifeſto, ſignificatoribus ſuis apertè reſpondente, præſens cœli figura correcta eſt. Vnde de ſequentibus directionibus nihil dubij relinquetur: quippe quæ ſatis diligenter atque fideliter per calculum ſunt erutæ, inque ſignificatis ſuis enucleatæ.

Anno ætatis 31. Venus progrediens ad Sextilem Solis ſiniſtrum, nominis exiſtimationem ampliandam indicabat, præſertim in locis extraneis. Conſecutus es mox inſignia Doctoralia in V. I. & alia quædam, privilegia honorifica. A. C. 1592. 16. Maij, ſtylo Veteri. Profectio M. cœli exactè attigit Mercurij Sextilem ſiniſtrum; Venus vero trigonum Mercurij dextrum.

Anno ætatis 34. M. cœlum ad trigonum Solis diſcedens, nominis celebritatem augebit, in locis extraneis: Sed quia Sol non admodum eſt potens, effectus huius directionis redditur obſcurior, ac quaſi privatus.

Eiusdem generis eſt 9. directio, incidens in an. ætatis 37. ampliabit hæc nominis eruditionisque celebritatem in aulis Magnatum, alijsque locis.

Anno ætatis 38. Horoſcopus decedens ad cor Scorpij, mala inferre conſuevit oculis: interdum vuln9 aliquod infligit, aut febriculam excitat vehementiuſculam. Mars Horoſcopum quadrangulo pertranſit circa 27. & 30. Auguſti Calendarij antiqui: An. Chr. 1598. Mox verò ipſum Horoſcopum corpore perſtringit idem 13. Octob. Rurſus quadrangulariter ex Aquario 8. Ianu. A. C. 1599.

Directio Horoſcopi ad Saturni oppoſitum, incidit in annum ætatis 39. completum ferè, Chr. 1600. Minatur autem morbum ſatis periculoſum, virium ſcilicet dejectionem omnium, venena, peſtis pericula, epidemiam, catharros repentinos &c. Profectio ſeu revolutio Solis ad Martis oppoſitum continget A. C. 1600. 20. Novemb. circiter. Horoſcopi ad quadratum Martis ſiniſtrum circa

21. Sept.

25. Septemb. Cal. Veteris. In transitu observabis 5. 7. & 8. Iulij. ferias Epiphaniorum: Tum etiam 22. & 24. Septem. 24. 25. 27. 30. Novem. 2. 4. 6. Decemb. His ipsis diebus Mars transitu horoscopum inficit.

QVÆSTIO,

AN AB HAC AEGRITVDINE SIS RESPIRATVRVS?

Respondeo: Annus quidem iste gravis erit ac satis periculosus: Sed quia in finibus beneficis directio præsens versatur, sequaturque radijs suis triangularibus Iupiter, omninò dico, hunc annum tibi non fore exitialem. Ptolomæus & Astrologi regulam habent, ipsa experientia comprobatam; quæ talis est: Beneficæ stellæ gradum directionis minacis suorum orbium medietate respicientes, malignitatem eius refrænant, morbique curationem facilem reddunt. Sufficit igitur triangulus Iovis, gradum Directionis Horoscopi hìc benigniter collustrans. Accedit prudentia humana, quæ malum imminens si non ex toto avertit, ita tamen declinat, ut nec illud sit grave adeo, nec noxium. Qui sciens est, multos stellarum effectus potest avertere, si naturam earum cognoverit, Ptolom. in Centiloq. aphorismo v. Admoveantur præcedenti tempore medicinæ tum purgantes corpus ab illuvie humorum, tum confortantes membra principalia, ac firmantes Vitalem Spiritum nativumque calorem: quæ alterius sunt professionis. Ipse Scorpius, uti etiam Serpentarius, de cœlo deductus, (loquar cum Virgilio) gestantē tutum reddit à febrib⁹, veneno, pestilentia. Secreta sunt hæc.

Anno ætatis eodem, M. cœlum ad trigonum Saturni sinistrum perveniens bona decernit demortuorum causa, aut possessiones antiquas, dono à sene quopiam adventuras.

Annus ætatis 42. ac 43. Honorificus ac prosper futurus est: quoniam Cœli apex ad spicam Virginis accedit, Venus verò ipsa ad corpus Iovis. Hac ratione insigne aliquod bonum afferent in augmento dignitatum ac divitiarum; idque magnifici

cuiusdam viri beneficio. Observabis diem Iulij 14. A. C. 1602. Mox etiam 11. ac 16. Aug. Item 3. Septembris. Anno verò sequenti 1603. 22. 23. Ianua. 7. & 8. Iunij. Hic profectio Solis trigonum Iovis sinistrum assequetur; Illic, M. cœlum ad Venerem ipsam acceder.

Anno ætatis 45. M. cœlum ad Iovis oppositum decedens, amicitiam magni alicuius Domini intercipiet, aut labefactabit: quo tempore cautius res tuas expedies apud Magnates &c.

Eodem anno, Sole ad Martis trigonum recedente, in amicitiam alicuius bellicosi viri devenies non absque lucro aliquo: Eius benevolentia, officijsque prospere uteris.

Anno ætatis 48. Christi 1608. Horoscopus deveniens ad trigonum Iovis dextrum, corpori sanitatem concedet prosperrimam, largietur conversationem cum magnis viris, ex qua bona maxima expectanda veniunt.

Eiusdem generis est subsequens, Solis scilicet ad Sextilem proprium in finibus Venereis, incidens in annum ætatis 49. Chr: 1609. Hoc eodem Sors progrediens ad Martis antiscium, augebit expensas propter consanguineos atque peregrinationes: cavenda etiam tum sunt furta domesticorum, aut nunciorum.

Anno ætatis 45. Chr. 1614. Sol progrediens ad Sextilem Mercurij sinistrum ac Saturni dextrum, ampliabit autoritatem nominisque tui existimationem apud literatos, aut per eos: Cum enim naturali quodam impetu, indefessus feraris & ad magnarum rerum scientias, & ad occultorum quorumlibet cognitionem; facile ego video, qualis quantusvê mox futurus sis. Perge audacter, ut proprio ingenio satisfacias, ut proprium fatum promoveas.

Annus æta. 57. ac 59. futurus est perhonorificus omniumque optatissimus. Experieris tum possessionum, laudum, dignitatum, autoritatis, accretiones insignes. Decedet tum Venus ad Sextilem proprium; M. cœlum ad trigonum Veneris dextrum; Sol denique ad ipsum Iovem. Profectio M. cœli ad Veneris Sextilem incidit in An. Chr. 1617. 14. & 15. Ianua. Cal. Veteris; Solis verò ad tri-

ad trigonum Mercurij ac Saturnum ipsum, continget circa æquinoctium vernum. Profectiones faustæ itidem habebuntur. An. C. 1618. circa solstitium hybernum. Item 23. Janua. &c. Saturnus hoc tempore ex 2. gr. Geminorum M. cælo adversus, demortui alicuius causâ eventum aliquomodo protrahere studebit.

Anno ætatis 60. Chr. 1620. Horoscopus decedens ad 26. gr. Sagittarij, Saturni Martisq; fines contiguos, ægritudinem concitabit calidiusculum, quæ Medici ope facilè exterminabitur: Aut si solennes medicinæ evacuationesq; de consuetudine sua, ut par est, non fuerint sepositæ, vix fiet, ut morbi alicuius insultus corporis membra mordicus invadat. Profectio Horoscopi ac Solis extra maleficorum contubernium versabuntur. Transitus Martis in Tauro per Horoscopi oppositum, accidet 15. Aprilis tum in Leone per quadrangulum 22. 23. 24. Augusti: Qui magis observari debent.

Anno ætatis 61. Chr. 1621. Partis fortunæ progressus ad corpus Solis, amplificabit thesauros per munera Regum ac Magnificorum quorundam Dominorum: Quin ex proprijs honoribus idem decernitur.

Anno ætatis 63. M. cœlum Lancem Libræ austrinam arripiens progressu ipso, dignitatibus haud mediocriter favet.

Anno ætatis 64. Horoscopus concedens ad Sagittarij finem, ægritudinem minatur, quam corporis lassitudines, defluxionumq; illuvies maximè comitabitur; pedibus gravissima præ cæteris, &c. Ptolomæus fines signorum interficere asseverat: quod ipsum multoties verum esse observavi. Sed quia hîc Venus Sextili radio fortissimè insequendo hunc locum respicit, audacter pronuncio, humani prudentia auxilium tamen ferente suum, illum ipsum annum, minimè fore mortiferum.

Anno ætatis 65. Chr. 1625. Sors procedens ad Mercurium ipsum atq; ad Saturni triangulum, magnam pollicetur hæreditatem, aut propter defunctos, possessiones splendidas. Cum enim Saturnus tam fortunatus habeatur; impossibile, ut hæc dire-

ctio ocioſa futura ſit. Sic Anno Chriſti 1627. Sol ad trigonum M. cœli progrediens bona quæq; iterum promovebit.

Anno ætatis 70. Chr. 1630. Sol decedens ad Sextilem Veneris ſiniſtrum; Horoſcopus item ad Sextilem Veneris dextrum, tempus deſignant honorificentiſsimum, in dignitatibus, in poſſeſsionibus, in nominis celebritate, in beneficijs quibuscunq;. Idem decernit ferè Sortis progreſsio ad Sextilem Iovis dextrum, incidens in An. ætatis 72. quæ etiam dona regalia obnunciat ex terris longinquis. Sed ſatis ſuperq; de hac tua perquam felici genitura. B. V. Anno 1593.



COMMEN-

COMMENTATIVNCVLA,

DE ANIMA MVNDI ET SPIRITV VNIVERSI.

MVndus est sistema corporum cœlestium ac terrestrium, constans ordine, numero ac mensura, sed vivum, animatum, intellectuale. Pars definitionis prior ex sacris literis est manifesta: posterior constat ex Platone, non tamen sine rationibus apertis. Vbi dicimus sistema vivens, designamus vitam quandam naturalem, per mundi corpora sparsam, unà cum mundi corpore extensam, mobiliterq́ agentem. Vbi vero dicimus animatum, significamus ipsam animæ mundanæ substantiam, cuius essentia quidem & indivisibilis est & immutabilis, ut intellectus. Dici tamen potest quodammodo divisibilis, atq; mobilis, quia fons proprius est virium quarundam, ad divisibilia ac mobilia declinantium. Virtus autem actioq; partim individua ac immobilis, quatenus congruit cum divinis, & stabiliter agit: partim vero & divisibilis quodammodo, tum quia multiplex, tum quia ad corpus multiplex divisumq́ declinat: & mobilis, quia temporaliter operatur.

Vbi vero dicimus intellectualẽ, significamus intellectus angelicos, qui propriè regendis sphæris præfecti & indivisibiles sunt secundùm locum; & immutabiles secundum tempus; opposito se modò habentes, atq; naturalis vita, formaq́; corporea divisibilis atq; mutabilis. Hos ipsos intellectus angelicos in mundano corpore inesse necesse est, quoniam mundi corpus per vitam paratur ad intellectum. Ergo quemadmodum se habet ad vitam, similiter ad intellectum. Itaq; sicut non solum habet naturalẽ vitam in materia mundi iacentem; sed vitã etiam animalem, id est, animam in se existentem: Ita non modo habet intel-

lectualem qualitatem infusam animæ; verum etiam intellectualem substantiam in seipsa manentem. Vbiq; enim qualitates certæ ad certas substantias reducuntur; ut quemadmodum Vitalis qualitas ad Vitalem substantiam; Ita intellectualis quoq; qualitas ad intellectualem substantiam referatur. Sed de his agamus etiam explicatius.

Mundi corpus totum, quoddam corpus est, ex totis quatuor elementis compositum, cuius particulæ sunt omnium animantium corpora. Nam animalis cuiusq; corpusculum, mundani corporis particula est. Neq; ex toto ignis, aëris, aquæ, terræ elemento: sed ex horum elementorum quibusdam partibus componitur. Quanto igitur totum parte perfectius est singulorum animantium corpore. Absurdum hinc evadit, imperfectum quidem corpus habere animam, sed neq; animam habere, neq; vivere perfectum. Nemo adeo demens erit, ut partem vivere dicat, totum vero neget. Vivit igitur totum mundi corpus, cum animalium corpora, quæ partes illius sunt, vivant.

Sed cum unam oporteat esse totius animam: iam quærendum, qua in mundi parte illa resideat, Spiritumq; suum per singula unde distribuat, distributumq; conservet. Non sedem tentoriaq; sua figit in corporibus, variæ mutationi, ac multiplici corruptioni subiectis, ut sunt elementa, atq; elementata corpora. Quapropter cum in cœlo nulla sit corporum corruptio, ibi profectò est ea collocata. Ac quamvis in cœlo illa quoq; elementa habeantur, sed purissimé sivé spiritaliter: Attamen igneam naturam in eo dominium obtinere, manifestum est: Vti in hac inferiore mundi parte elementorum principatus penes ignem manet. Hoc ipsum in corporibus nostris plané patet sensibus. Multo magis vero cum ignis nullo modo putrescat, nullo modo corrumpatur, licet multoties alia corpora corrumpat, in exuperantiam ubi abierit:

Cæterum

Cæterum idem terram, aquam, aërem, materiam quasi quandam sibi á natura habeat subiectam, in qua ius suum exercet. Ipse Aer, & terras ambiens & aquas, à quo fovemur ipsi, & spiritum haurimus, ita quidem superno ab igne afficitur, ut modo calor in eo exuperet; modo tenuetur adeo, ut de statu suo decidat, ob caloris peruriam, atq; á frigore eyciatur. Tales itidem impressiones à superno igne traduci videmus in aquam terramq; ut modo in excessum aliquem feratur natura eorum ac qualitas, modo in defectum: Cœlesti illo igne in statu integro permanente. Quocirca cum in cœlo resideat mundi anima, in ignea substantia vigere eam necesse est. Est enim cœlum essentia ignea, sed temperatissima, purissima, lucidissima, incorruptibilis.

Neq; nos turbabunt, qui negant cœlum igneum, quod cœli motus sit circularis, ignis verò rectus. Nam quod ignis hic noster, peregrinus ille atq; impurus, recta tendat sursum, locum certè proprij atq; naturalis ignis veneratione quasi quadam petit. Non tamen ita etiam igneum aut calidum cœlum statuendum, ut sit urens atq; æstuans. Quo minus alienæ materiæ miscetur ignis, eò minus urit: quod ipsum cernitur in accensione olei purioris, inprimis vero olei ex auro artificiosè extracti; quod testantur veri Alchymistæ, ut & oculi humani ipsi aliquando experiuntur. In cœlo igitur cum non adsit materia quædam, á cœlesti natura aliena, nulla ibi fit adustio, nullus quoq; æstus. Cernimus nos in Cometis, per Sphæras cœlestes discurrentibus, non adustionem, sed illustrationem aliquam; procul dubio, quod materia illorum de cœlestium corporum naturá multum participet. Sed hanc rem, á larvata peripateticorum schola valdé alienam, ex infallibili observationum ac demonstrationum elegantiâ, plenius nobis mox reserabit TYCHO ILLE BRAHE, Danus, vir Nobilis, Astronomus ac

N Philoso-

Philosophus hoc seculo incomparabilis. Quod autem ex Solaribus radys, per speculum collectis, materia aduratur incendaturq; opposita: Id generatio est caloris atq; ignis subita, coalescens per flagrantiam radiorum collectorum in speculo, & in materiam idoneam transmissorum: quæ alterius sunt disputationis. Quidam cœli materiam aëream malunt: Sed quia lux illius ignis est propria, aërem etiam ipsum collustrans; rectius est meo quidem iudicio, cœli materiam statuere igneam. Præterea cœlum sedi divinæ atq; DEO ipsi proximum est: Non tamen ut Deus non sit ubiq;. Dicitur Deus luminum Pater, apud quem nulla est transmutatio, per quam extinguatur vel minuatur: neq; vicissitudinis obumbratio, per quam vicissim vel subeat noctem vel patiatur Eclypsin. Deus est lux, in qua tenebræ non sunt ullæ, h. e. forma, in qua nihil est informe; formositas, in qua nihil est deforme. Vt igitur Deus est lux invisibilis, infinita, veritas ipsa, veritatis cuiusq;, rerumq; omnium causa: Ita divinæ lucis splendor vel potius umbra, est lux cœli, visibilis, finita, causa visibilium. A cœlo enim universus mundus lucem vitamq; accipit. Mose, Aaron, Nadab, Abibu, & septuaginta è Senioribus Israelitarum, aspexerunt Deum Israelis, & sub pedibus eius velut opus pavimentum Saphyro, & velut corpus ipsum cœli Nitore, &c. Exodi 24.10. Vnde non absurdé dixerimus, si DEVM luce sua ex cœlo ac Sole nobis ita lucere dixerimus, ut candela per vitrum lucet atq; fenestras. Aliter rem hanc, ob eius maiestatem inscrutabilem, explicare vix possumus. Est igitur animæ mundanæ sedes in cœlo ac cœlestibus corporibus.

Cœlestia igitur corpora animata esse, rectè hinc concluditur. Absurdum namq; esset, vitam animamq; negare in Cœlo ac Stellis,

quæ

quæ ipsa vitam animamq́; inspirant his inferioribus corporibus, etiam vilissimis. Vitam dant plantis, quæ vel corporali semine non nascuntur: ut cernimus per montes ac loca inculta. Terræ quoq; moles aliqua, ex interioribus visceribus terræ extracta, Solisq́; radijs per iustum tempus exposita, emittit gramen, herbasvè aliquas, non raró etiam arbuscularum germina. Præbent quoq; stellæ vitam animalibus, quæ per coitum non gignuntur. Neq; tám stupidi esse velimus, ut plantas, arbores &c. nobilioris conditionis corpora statuamus, quam sunt illa cœlestia. Ad hæc operatio manifesta ac perennis, ex puro putoq́; corpore provenire minimé potest.

Ex his constare arbitror, mundum habere animam, in cœlo collocatam, tanquam in nobilissima mundi parte.

Sed rationales tamen esse animas cœlestes, animamq́; ipsam mundi, atq; esse mentis divinæ participes, ulterius forté probari desideras. Res obscura non est. Nam si Mundus, (ut Plato ait) ab ipso Bono (h. e. á DEO; quod nos Germani quoq; sic loquimur, quoniam (Gott) aliud nihil sonat nobis, quàm Gutt; si idiomatis rationem, ritè perquirimus) optimus est effectus, quam poterat: Erit certé non solum vitæ, sensus ac rationis particeps; sed etiam intelligentiæ. Perfectio corporis est anima: Et illud corpus est perfectius, quod perfectiorem animam habet. Idcirco si cœlestia corpora sunt perfectissima, necesse quoq; est, ea perfectissimis animabus frui. Sunt igitur cœli intellectus mentisq́; participes: quod ipsum Platonici ex consonantijs musicis insuper pulcherrimè comprobant. Cum enim consonantia musica quasi viva sit, & rationalis, & efficax: vitæ utpote quam simillima: animo gratissima: rursus totum sibi hominem vendicet arripiatq́;: Et, quod maius est, per ipsam factus sit

animus, facta sint omnia: per ipsam conserventur: per ipsam & moveantur: Ideo haud abs re Plato ille noster animam effectricem, servatricem, motricem omnium naturalium, præcipuè musicis numeris rationibusq; descripsit, numeris inquam non mathematicis accidentibus, ut quidam calumniantur; sed idealibus metaphysicisq; numerorum rationibus constitutam. Concentus ille in motu omnino positus est: quoniam per aéream naturam, in motu positam, movet corpus: per purificatum aérem concitat spiritum aéreum, animæ corporisq; nodum: per affectum, afficit sensum simul & animum: per significationem agit in mentem: deniq; per ipsum subtilis aéris motum penetrat vehementer: per contemplationem lambit suaviter: per conformem qualitatem mira quadam voluptate perfundit: per naturam, tam spiritualem quam materialem, totum simul rapit & sibi vendicat hominem. Consideremus ergo attenta mente, quomodo suavissimæ Musicæ soni animum in nobis excitent, ac quasi duplicent, triplicentvè: Pari ratione statuamus melodiam cœlestium corporum, iam ex tardiori motu, iam vero ex velociori, efficere tonum gravem acutumvé: Sed his ipsis sub cœlo respondere gravitatem ac levitatem: frigus ac calorem; rursus humorem siccitatemq; elementorum. Taliter quoq; in generatione rerum se habent materia ac forma: In humanis ingenijs, mansuetudo atq; magnanimitas; temperantia ac fortitudo. Motus igitur ubiq; cum liber sit sua natura, prævaricari facilé potest ac pervagari, nisi intellectu menteq; regatur: quæ quidem hoc in loco secundum rei exigentiam ulterius disquirere non possumus.

Præterea absurdum est, nos nostrorum operum habere rationes: Animas vero cœlestes, atq; adeo ipsam universi animam, suorum rationes minimè possidere, de cuius spiritu & nos ipsi generati sumus, & vivimus,

vivimus continuò. Si minor mundus anima fruitur intelligenti: tali quoq; fruetur mundus maior: Sed hæc longius persequi desinamus: concludentes, Mundum esse sistema corporum cœlestium ac terrestrium, constans ordine, numero ac mensura; sed vivum, animatum intellectuale. Vnde sanè colligere licet, Animam Mundi esse vitam quandã unicam, omnia replentem, omnia vivificantem, omnia producentem ac connectentem, ut unam reddat conservetq; totius mundi machinam: estq; velut monochordum, ex triplici creaturarum genere, intellectuali, cœlesti, corruptibili, reboans, unico flatu tantummodo & unica vita.

(*Vnitatis mysterium paucis cognitum est.*)

Cæterum neq; hic autoritatem prætermittere possumus, tum sacrarum literarum, tum Philosophorum etiam probatissimorum.

Deuter. 4. 19. Non adorabis Solem, Lunam ac Stellas, quæ impertivit DEVS cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Deuter. 28. 12. Aperiet tibi DEVS thesaurum optimum cœlum. Deuter. 33. 13. De Iosepho: De rebus preciosis cœli erit tua benedictio; de rebus preciosis Solis, de rebus preciosis, quas Luna quæq; protrudit. Præ cæteris considerabimus ea, quæ Levit. 26. 19. habentur: Dabo vobis (inquit Iova) cœlum desuper ferreum: Non enim terra dabit proventum suum, neq; arbores fructus suos. Idem repetitur Deutero. 28. 23. Item Oseæ 2. 21. Et ego exaudiam cœlos, & cœli exaudient terram, & terra dabit frumentum, mustum, oleum &c. quæ exaudient Israel. (*Videmus itaq; hic, Deum radicem benedictionis mundanæ in cœlo ponere, tanquam in anima universi, ita ut à cœlo sit benedictionis initium, uti ab anima nostra motionis; quæ per se satis sunt perspicua.*) *Huc spectant etiam, quæ extant Iobi 38. 33. An cognovisti quid de statutis cœli, an disponere potes dominatum eius in terra?* (*Dominatus cœli procedit per terrestria atq; inferiora quæq;, uti dominatus Imperatoris aut Regis, per totum imperium ac regnum:*

Vt igitur Rex regni est anima: Ita quoq; mundi anima est cœlum ac stellæ.) Item Iobi 26. 13. *Spiritus eius ornavit cœlos.* *Psal. 33. 16. Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius, omnis exercitus eorum.* (Quo in corpore Spiritus DEI residet atq; effulget, id procul dubio animatum erit atq; intellectuale.)

Psalmo 18. In Sole posuit tabernaculum suum Iova: Dies diem eructat, & nox ad noctem ostendit scientiam: Non sermo, neq; vox eis (cœlis.) est, & sine his intelligitur vox eorum. In totam terram prodeunte delineatione eorum, simul prodierunt in extremitates orbis habitabilis sermones eorum, ex quo Soli posuit tentorium in eis.

Psal. 89. 6. Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine.

Ioan. 3. Inquit Salvator noster ad Nicodemum: Terrena vobis dixi, & non creditis: quomodo si cœlestia: quasi diceret: Terrenarum generationum comparationem ad spiritualia iam propono, quæ vobis sunt obviæ omnibus: Nec tamen creditis. Multo minus igitur credituri estis, si cœlestia simili sermone vobis adduxero, quæ vestris sensibus non ita sunt exposita.

Sol iustitiæ Christus á Propheta nominatur: Quo usq; hinc Philosophari possemus, de Sole ac cœlestibus igniculis, dici vix potest.

Valde illustris est locus Gen. 37. in somnio Iosephi, qui visus erat se adorari á Sole, Luna, ac stellis undecim. Parens itaq; eius Iacobus, magicè hoc somnium exponens, inquit: Num ego, & mater tua, & fratres tui veniemus & te adorabimus? Sciebat igitur sanctus ille Pater, Solem habere vicem patris, Lunam vero matris, in mundo, mundanisq; generationibus: Stellas vero duodecim (erat enim Iosephus tanquam stella duodecima, perinde ut fratrum duodecimus) subire vicem filiorũ progenitorum. Intelligas per duodecim illas cœli stellas, signa cœli duodecim.

decim, menses duodecim constituentia ex duodenis congressibus Solis ac Lunæ in ijs; ex quibus eorum congressibus annus conficitur, annuæq́; generationes finiuntur. Cætera videnda sunt apud cabalistas. Quamvis satis perspicuè rem præsentem enucleavimus.

Non scribimus hæc vanis, hoc est, imperitis ac superbis: sed probis ingenuisq́, DEVM eiusq́ opera cognoscere indesinenter affectantibus: quiq́ didicerunt, Theologiam esse veram Philosophiam, ac veram Philosophiam esse Theologiam, (mysticam scilicet) hoc est, ut expreßius dicamus, ex opere cœli ac terræ, (de quo est omnis probata Philosophia) eiusq́ ex sistemate inscrutabili, cognosci DEVM ipsum tanquam ex speculo, quodis sit sapientißimus, bonitatis ineffabilis, æternæ.

Altera autoritas in nostro negocio est Philosophorum maximorum, puta, Platonis, Aristotelis, Pythagoræ, Orphei, Trismegisti, Theophrasti, Avizennæ, & similium. Inprimis vero sequimur hic Platonem, Philosophum pietate ac Dei cognitione plenißimum, eiusq́ interpretem nunquam satis laudatum illum, Marsil. Ficinum Florentinum; quo superiorem an Italia tulerit unquam, non facilè dixerim.

Si quis cœlos (inquit Theophrastus peripateticus) vivere dubitet, is non censetur Philosophus: Et qui negat cœlum animatum, ita ut motor eius non sit forma eius, totius Philosophiæ fundamenta destruit.

Nec aspernendi quoq́ nobis sint Poëtæ nobilißimi.

M. Manilius in proœmio.

Postquam omnis cœli species, redeuntibus astris,
Percepta in proprias sedes, & reddita certis
Fatorum ordinibus sua cuiq́ potentia formæ,

Per varios usus, artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam, speculataq; longé
Deprendit tacitis dominantia legibus astra,
Et totum alterna mundum RATIONE moveri.

Idem Cap. 2.

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraq; naturæ diversa condita forma,
Aëris, atq; ignis, terræ, pelagiq; iacentis:
Vis animæ divina regit, sacroq; meatu
Conspirat DEVS, & tacitá ratione gubernat.

Item Lucanus.

Aëre libratum vacuo qui sustinet orbem,
Totius pars magna Iovis, ——————

Et Boëtius.

Tu triplicis mediam naturæ, cuncta moventem,
Connectis animam, per consona membra resolvis,
Quæ cum secta duos motus glomeratur in orbes
In semet reditura meat, mentemq; profundam
Circuit, & simili convertit imagine cœlum.

Et Virgilius Philosophorum præstantissimorum non postremus, 6. Æn.

Principio cœlum & terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra

Spiritus intus alit: totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet
Inde hominum pecudumq; genus, vitæq; volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus;
Igneus est illis vigor, & cœlestis origo;
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.

Sed satis de mundi anima: de qua cum iam constet, constabit etiam de eius Spiritu, qui Spiritus universi dicitur. Vbi anima, ibi quoq; Spiritus: In Spiritu viget anima, in anima vero intelligentia. Est autem Spiritus universi vigor virtutum divinarum, per res universas, cuius fomes perennis residet in mundi anima, atq; corporibus cœlestibus. Hac ipsas virtutes appellabat Deos Democritus, Pythagoras, Orpheus & similes alij: Zoroaster divinas illices: Synesius symbolicas illecebras: sed alij vitas, alij etiam animas nominabant. Neq; id quidem immerito. Cum enim anima primum mobile sit, & quidem sponte seu per se mobile; corpus vero vel materia per se ad motum inefficax, & ab ipsa anima longé degenerans: Idcirco excellentiori quodam opus est medio, scilicet quod sit quasi non corpus, sed quasi iam anima, sive quasi non anima, & quasi iam corpus, quo videlicet anima corpori connectatur. Medium autem tale est ipse Spiritus universi, quem aliás quintam essentiam dicimus; quod non sit totus ex quatuor elementis, sed quintum quoddam supra illa ac præter illa subsistens. Talis igitur Spiritus necessarió requiritur tanquam medium, quo interveniente animæ cœlestes insint corpori crassiori: Estq; ille ipse formæ talis in corpore mũdano, qualis in humano corpore noster: quippè ut animæ nostræ vires membris communicantur per Spiritum: Ita virtus animæ mundanæ per quintum illud esse dilatatur per omnia,

adeo ut in toto mundo nihil reperiatur, quod eius vivifica scintilla careat. Per hunc Spiritum omnis occulta proprietas propagatur in herbas, lapides, metalla, in animantia, per Solem, Lunam, per Planetas stellasq; alias orbis octavi. Et res illæ, quæ copiosiorem continent eiusmodi Spiritum, excellentioremq; eæ manifestiorem celerioremq; operationem perficiunt in nostris corporibus: modo á corpore ac fecibus ritè separetur. Feces enim nihil prosunt, imó Spiritus ipsius vim penetrantem plané impediunt ac comprimunt. Quo sanè respicere debebant Medici omnes, ut vires rerum medicatrices á corpore clementatisq; impuritatibus artificiosè segregarent, nec tam aniliter unà cum fecibus medicamina propinarent ægrotis. Sed laborem illum aut plané subterfugiunt plerîq;, aut inhonestum ferè existimant, artem illam separatricem ægroto corpori committentes. Quin tantos quoq; progressus in Philosophia faciunt, ut contra Astronomiam ipsam non raró disputent, ignorantes profectó, se nihil quicquam vel discere vel disputare posse, sine sidereo illo Spiritu, illis ut & homini cuiq;, magis tamen minus vé desuper ex cœlo stellisq; communicato. Sané lotus, implicans in se folia antè Solis exortum, sed eo oriente paulatim ea explicans; æquior censebitur erga cœlestes duces, atq; hi ipsi rationales homines. Idem de gallo nobis persuadeamus, qui surgenti Soli, ex claustris inferioribus, quopiam quasi hymno applaudit. Sed hæc extra propositum feré. Diximus, in hoc inferiori mundo nihil inveniri, quod Spiritus illius vivifica scintilla careat. Sed scire tamen qua in Stellis, ac quo in signo Signiferi res quæq; Spiritum suum agnoscat, hoc opus, hic labor est. Tantum tamen hoc in negocio manifestatum est nobis per homines sedulos atq; peritos, quantum humano ingenio atq; labori, ad maiora

investigan-

investiganda, satis est. Aurum Spiritum habet Solarem in se. Vt itaq; inter metalla illud est preciosissimum valore: Ita quoq; Spiritum omnimodum alit, rerum omnium crescentium; perinde ut Sol virtutes stellarum omnium possidet. Non mirum igitur, Spiritum illum auri, solertius á corpore elementato sive metallico extractum separatumvè, omnes totius corporis ægritudines extirpare. Ratio est manifesta ex ipsa Astronomia. Esse vero aurum solaris Spiritus, alijs rationibus sepositis, testatur astrum eius depuratum, perenni igne ardens, incensum ubi fuerit: Quam rem probé sciunt veri Alchymistæ; & in sepulchris aliquibus tale quippiam constat inventum, quod ultra centum annos ardorem ignemq; suum continuaverit: Vti Sol perpetuo lumine fruitur. Idem metallum non ineptè chaos terrenum dicitur: Quoniam si Spiritus universi, in eo residens, certo tempore ad formam competentem unà cum corpore fuerit redactus, eadem plané præstat, aut etiam maiora, quam essentia illa Solis, tantoperè avaris expetita. Sic quoq; metallis reliquis proprium in cœlo atq; perenne est seminarium: Sic etiam arboribus, plantis, lapidibus &c.

Si igitur res quælibet crescens Spiritum in se alit astralem, generativæ ac seminariæ virtutis fomitem; Multó magis talem, & quidem perfectiorem, in homine ipso statuamus. Talem qui Philosophi ignorant in homine, nihil certi proferre possunt de hominis ingenio, proclinationibus, antipathia, sympathia, de virtute operationeq; magnetica, & quæ huc pertinent: Hinc fit, tám ineptè ac turpiter vel ex volatili aëre rationes Philosophandi congerant.

Tenendum firmiter, duplicem esse in homine Spiritum:

 Alterum

Alterum á cœlo ac sideribus in generatione infusum: alterum vero á DEO inspiratum: hoc erat vitæ spiraculum in Adamo, perfectum quidem illud, sed postea amissum. Factus est primus homo ex limo terræ, hoc est, ex maiori mundo, ex creaturis sideralibus atq; elementatis. Vnde animam quandam astralem recepit, mundi animam referentem. Huius obiectum est mundus universus, & quæ in illo habentur, id est, sapientia mundana, in se complectens artes ac scientias quaslibet in universum: Genius cuiusq; proprius sive dæmon tale quid in homine antiquitus fuit appellatum. Non is plané expers est legis naturalis, (hoc est, voluntatis divinæ erga nos, facta bona præcipientis ac probãtis; mala vero abominantis, ac damnantis) Quia mund⁹ imago Dei prima: mundi dein, rationem poßidentis, exemplar ipse homo. Ac licet liberum arbitrium homini insit: Ita tamen inest, ut qualem quenquam prædestinatio illa mundanæ animæ formavit, talis quoq; cupiat velitq; evadere quilibet, naturali instante Minerva. Sic quomodo astris homo sit subiectus, apertius intelligimus. Hinc morbos etiam plerosq;, atq; adeo vitæ terminum ipsum (in florenti ætate præsertim) ab astris descendere non negabimus: Cuius rei rationes manifestas, ac multiplicem in exemplis experientiam alibi proferemus. Huc spectat tota astrologia genethliaca. Fundamenta huius ipsius negocij eruditißimè explicat fusius Theophrastus ille Paracelsus in volumine Philosophiæ sagacis.

Vltra hunc Spiritum rationalem atq; operatricem animam, ex astris originem germinaq; sua deducentem, aliud inditum erat Adamo á Deo spiraculum, quod erat vitæ spiraculum; cuius ratione is dicebatur imago DEI. Huius imaginis claritas amissa est per lapsum primorum parentum, scintilla eius exigua in nobis superstite: Sed per regeneratio-

generationem in Christo ad statum pristinum deducenda. Hæc scintilla, mediatore Christo, exardescit in lucem sapientiæ cœlestis; Ea est Spiritus credentium in Christum proprius. Ioan. 7. reyciens, spernens, deridens hæc mundana omnia, non quà DEI opera (illa si quidem de Deo testantur, qualis sit) sed qua caduca, qua instabilia, qua hominem á Dei conspectu atq; gaudio illo æterno abstrahunt. Hæc sapientia est lucta illa cum carne, eiusq; concupiscentijs, vincens tandem, victore Christo. De hac vulgatum est illud: Sapiens dominabitur astris. Per hoc ipsum dominium nos á charitate caducorum abducimur, transferimurq; in charitatem æternorum: Per hoc ipsum recipimus Christi crucem in humeros nostros, Christumq; sequimur; hoc est, per hoc expurgamus vetus fermentum, carnem nostram crucifigentes cum malis affectibus concupiscentijsq;: studentes Spiritus Christiani ferre fructus uberrimos sine hypocrysi, ut est charitas, fides, pax, gaudium, benignitas, mansuetudo, temperantia, ad Galat. 5. Summatim, hic cœlestis Spiritus aliud nihil est, quam fides triumphans per ipsam CHARITATEM, sine qua nullus hominum valet quicquam coram DEO, etiamsi (ut habetur 1. ad Corinth. 13.) angelorum lingvis loquatur; omnem possideat fidem, adeó ut montes de loco movere posit; etiamsi teneat scientias; cognoscat mysteria omnia, tradat corpus suum igni, sit plenus Prophetiarum. DEVS est CHARITAS: Creati sumus nos atq; redemti ex charitate, in charitate, per charitatem.

Charitas in nobis servat mandata Dei. Charitas est vinculum perfectionis, ad Coloss. 3. Charitas est longanimis & benigna: non invidet: non tumultuatur: non inflatur: non agit, quod pudendum est: non quærit quæ sua sunt: non irritatur: non cogitat malum: non gaudet de iniquitate, sed de veritate: Omnia suffert; omnia credit, omnia spe-

rat ac sustinet. Charitas ædificat, scientia inflat: Charitas est maior Prophetijs, lingvis, scientijs; Prophetiæ abolebuntur; lingvæ tacebunt: scientiæ peribunt: Charitas manet in æternum: Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo.

Iam intelligi licet; duplicem esse hominem: Alium astralem, externum, seu carnalem, qui animalis dicitur, nec percipit ea, quæ sunt Spiritus vivificantis: Alium vero esse spiritualem sive internum, in regeneratione imaginis Dei corruptæ occupatum. Rom. 7. Pari ratione duplex erit sapientia: mundana sive astralis altera, artium, scientiarum dignitatum, possessionum, rerum caducarum: In qua sola occupantur gentes, Matth. 6. Et cœlestis altera, in cognitione Dei, in eius misericordiæ ineffabilis consideratione, in desiderio bonorum æternorum, posita. Hæc rectorem alium non agnoscit, quam Spiritum sanctum, per Verbum Dei operantem: illa vero, cœlum atq; influentias cœlestes. Vtraq; in homine coniuncta esse potest, qui DEO placet. Sed in quo homine regnat sapientia cœlestis, illa altera famula est, nihil omninò quærit, nisi DEI gloriam ac proximi salutem: quantum quidem electis, sive ijs, quos Pater Christo dedit, in hac vita concessum est. Vbi veró astralis regnat sola putaq;, ibi sunt canes ac porci, quibus sanctum dare, margaritasq; obijcere, prohibitum est. Vbi demum cœlestis atq; astralis coniunctim habentur in regimine, hoc est, ubi duobus dominis inservire, studemus: Ibi vera est hypocrysis, DEO maximè displicens. Nemo potest duobus dominis inservire. Tales erant Christi tempore Pharisæi: quorum iustitiam nisi nostra superaverit, in regnum DEI nos minimè ingressuros, Christus ipse edixit.

Necesse

Necesse erat, illa hoc in loco parum adumbrare, ne Calumniatores inscij, à vera hac Philosophandi ratione aut sepositi, aut abhorrentes, ansam arriperent, sacra miscendi profanis, & contra: ubi forté hæc improbare aggrederentur.

Porro ut de anima ac Spiritu universi constat, deq; sidereo rectore in homine: Ita de quatuor sensibus in universo, iam simus edocti, ad quadruplicem vim sive potestatem animæ mundanæ sese accommodantibus. Quatuor numerantur elementa, corpori mundano præbentes materiam. Quatuor itidem potestates in anima mundana habentur. Prima, est intellectus, in se manens immobilis, sphæræ motor sive rector, ita regendis sphæris ab autore rerum omnium institutus. Altera, sphæræ anima, motor mobilis quidem, sed mobilis per seipsum. Tertia, intelligentia quædam, huic animæ á DEO, atq; intellectu superiore, insita divinitus. Quarta, natura, hoc est, seminaria Vitalisq; virtus, ab anima passim infusa materiæ. Intellectus quidem & anima, substantiæ sunt: Intelligentia vero atq; natura, sunt qualitates: Illa quidem animæ, hæc vero materiæ. Horum quatuor imagines sunt quatuor elementa: Ignis enim intellectum refert, terra naturam, intelligentiam Aer, Aqua deniq; animam. Et sicut tria igni sunt propria, tria quoq; opposita terræ, medijsq; media quadam ratione conveniunt: Sic tria intellectui propria, eorumq; opposita propria sunt Naturæ: Medijs quoq; media. Intellectus enim individuus est, uniformis, æternus. Natura dividua, multiformis, temporalis. Anima vero inter hæc media, per intelligentiam quidem magis intellectus ipsius particeps evadit, quam Naturæ:

per

per animalem vero potentiam, cum natura potius, quam cum intellectu consentit. Quamobrem partim individua, partim dividua dicitur. Item uniformis similiter & multiformis.

Rursus æterna partim & temporalis.

	A Substantia.	A Virtute.	Ab Actione.
Ignis,	*Subtilis*	*Acutus*	*Mobilis*
Aër,	*Subtilis*	*Obtusus*	*Mobilis*
Aqua,	*Crassa*	*Obtusa*	*Mobilis*
Terra,	*Crassa*	*Obtusa*	*Immobilis*
	Intellectus	*Individuus*	*Vniformis, Æternus*
Anima per	*Intelligentiam*	*Individua*	*Vniformis, Æterna*
	animalem potentiam	*Dividua*	*Multiformis, Temporalis*
	Natura	*Dividua*	*Multiformis, Temporalis.*

A Platone hinc quatuor vitæ quoq; traduntur recensenturq;. Saturnia, in intellectu suspiciente patrem suum cœlum, id est Deum, cœli fabrum. Iovialis, in intelligentia ad actionem iam mobilem declinante. Venerea, in animali virtute, iam amante materiam. Dionysiaca, in natura quasi ebria, id est immersa materiæ.

Sed & sensus simili ratione quatuor in universo connumerantur. Primus utiq; sensus in anima Mundi, communis, inquam, sensus & unus: hoc est, imaginaria quædam virtus, sic intelligentiam eius comitans, & formas rerum particulares attingens, ut illa universales: attingens inquam intrinsecus, ideoq; nullis indiget instrumentis, neq; extra procedit usquam, neq; patitur. Secundus vero sensus in animabus sphærarum est atq; stellarum, communis certè impatibilisq; similiter

similiter, sed extra procedens. Tertius in particularibus animabus, ultra vim communem iam per instrumenta singula distributus, & extra se porrigens, sed desinens in iudicium. Quartus deniq; sensus, secundum Pythagoricos, conceditur plantis, immo sensus simulacrum quoddam, & id quidem stupidum, nullum iam habens iudicium qualitatis, sed in sola positum paßione voluptatis cuiusdam atq; doloris. Sensus primus, intellectum repræsentat: Secundus, intelligentiam: Tertius, vim animalem: Quartus, deniq; naturalem. Vbi meminerimus, ipsam mundi materiam, neq; aliter suscipere animam, quam per naturam: neq; aliter intelligentiam, quam per animam: neq; aliter intellectum, quam per intelligentiam: Quemadmodum per terram accipit aquam, per hanc aërem, per hunc & ignem.

Iam ad propositum tandem descendentes, sciamus lineas manuum non aliundè proficisci (primo Creatori suum quod est tribuendo) quàm ab imaginatione illa maioris mundi, in generatione hominis taliter vel taliter affecta, sed per astra ius officiumq; exequente suum. Vix perceptibile est hoc humano ingenio, quomodo operatio talis signetur in manibus per lineas, cuius vis fatum adumbrantes. Aliás imaginatio illa mundanæ animæ prædestinatio dicitur, scientia, fatum. Hæc ipsa in conceptu partuq; ex illius stellæ influentia ius suum exequitur, cuius potestas tum in cœlo floret præ cæteris, hominiq; cuilibet genium illum proprium inde infundit: Plures stellæ si executionem illam recipiunt, ex ijs signaturæ quoq; propriæ ac suetæ delabuntur atq; exoriuntur: felices quidem aut infaustæ, pro Planetarum aliorumq; siderum affectione in signis ipsis ac cœli plagis. Quæ coniunctiones Planetarum, alijq; aspectus eorum, rarius habentur: Ex ijs per nobiles excellentesq; fiunt impreßiones. Tales sunt coniunctio ac Sextilis ♀ ac ☿:

coniunctio ac Trigonus ♄ ac ♃: Vti etiam Iovis ac ♂. ♃ ac ☉. ♃ ac ♀. Trigonus item ♂ atq; ☿: Luna item in angulo quopiã partiliter supputata, nobilisvè stellæ favente radio circundata &c. Magis tamen minusvé pro cœli plagis signiferiq; locis. Accessus fixarum insigniorum illis omnibus plurimum roboris adiungunt. Sic etiam qui stellarum obtutus in adversum propendent. Quin tám benefica huic scientiæ sive prædestinationi vis est indita, tantusq; AMOR, ut ad mox futuros instantesq; eventus (quorũ tempora in genituris correctis ipsæ Directiones locorum manifestant, per multiplicem experientiam mihi certò cognitæ) suà signa in hoc vel illo manus loco sæpè præmittat; ut si fausta præ foribus esse, ex illis homo forté cognoverit, ea allicere sibi & amplificare studio poßit: Sin adversa, in illis avertendis vel leniendis saltem, velit poßitq; esse sollicitus. Et de AMORE quidem, rebus omnibus, cœlestibus ac terrestribus, in prima creatione immisso, lite tamen alicubi adiuncta sive opposita, integrum volumen esset conscribendum: Vide commentaria aurea Marsilij Ficini in convivium Platonis de Amore.

Nisi videremus ipsi quotidié, lineas alias evanescere iam in nostris manibus, suboriri alias rursus alia facie: pallescere alias, itemq; alias rubore quodam florescere &c. derideremus ista sanè omnia, tanquam vana ac fortuita. Sed tamen cum varios per usus effecerit artem ipsa experientia, tam audaces ac stupidi esse non possumus, ut eventus aliquos subesse negemus. Causam veró sive principia, & signaturarum ipsarum & affectionum in ysdem, non alibi requiescere par est, atq; in illa ipsa mundanæ animæ scientia, per stellas stellarumq; progreßiones, cuiusvis hominis proprias, sua quasi vexilla præmittente. Nisi perenni quadam potestate præcedit

hæc

hæc imaginatio, ſcientia, fatum, prædeſtinatio: non generabitur, non augebitur quicquam: non fient ex inviſibilibus, viſibilia: ex incorporeis, corporea: non explicabuntur figuræ, magnitudines, colores, odores ac reliquæ ſignaturæ corporum, ſive copioſum ſive exiguum affluxerit nutrimentum: quia non habent fundamenta, radices, principia, quorum poteſtate, tutela, patrocinio, in novæ Reipublicæ ſocietatem recipiantur. Qui ſiti premitur, liquoris familiaris ſpeciem animo concipit: huius imaginationis comes eſt individuus ipſa appetitio: Et talis imaginatio, appetitu tali formata, ſitis eſt. Huic imaginationi idem eſt liquor deſideratus: quia ſpecies, quæ imaginationem formavit, liquoris propria eſt; & liquor talis imaginationis officio, prædeſtinationi, ſcientiæ, fato, ſatisfacere poteſt. Quod igitur corpori vivo eſt nutrimentum appetitum: Id ſcientiæ mundanæ eſt eventuum aut impreſſionum conceptarum atq; ſignatarum impletio: ſive in bonum, ſive in malum. Hanc rem etiam nobis indigitat laudatiſſima illa Idea Medicinæ Philoſophicæ Petri Severini Dani, viri ſané præſtantiſſimi, ſcriptoris perquàm nervoſi. Hæc igitur, quæ tanta efficit in mundo per amorem ingenitum inſeparabilemvè, etiam in manibus hominum delineandis eſt occupata, ſignificans, quæcunq; homo peragit, ea pleraq; eſſe in manu ipſa aliquomodó deſcripta. Excludimus hîc ea, quæ ſunt excludenda: voluntas hominis omni ex parte ſtellarum decretis non ſubijcitur: neq; etiam illud, ſi hodie veſcor carnibus, cras vero braſſica aut paſtinaca &c. Quæ ipſa ad ſtultorum obiectiones, maturè amovendas, iam ſint addita. Sed ſi intelligere deſideras cur in manu hæc ſigna reperiantur, nec fortè in alia corporis noſtri parte: Cogites, manus noſtras eſſe nobiliſſima membra in actionibus quibusq; perficiendis, eſſe primariarum conceptionum noſtrarum executores, adeo ut ſi manuum

 beneficio

beneficio careremus per paucos dies, omnes nos perire simul necesse esset. Nostra fata itaq; pleraq;, nostramq; potestatem in manibus nostris ut plurimum esse repositam, ipsi vel nescientes testamur aperté, quando complicatis manibus DEO aut homini cuipiam nos ipsos supplices subijcimus; declarantes profectó, nos ex nostris viribus nihil posse; hæc fatorum nostrorum vexilla iam complicata (instar bellicorum) nos spernere atq; abijcere; illudq; unicum, quod suppliciter poscimus, illa nostra superare, nobisq; satisfacere; manuum quasi Sacramento quodam interposito. Nescio, à quibus hæc talia inter preces serió considerentur.

Quæri iam potest, cur excellentes siderum positurae, non semper efforment depingantq; in manibus lineas perclaras, Conspexi ego nobilem virum, cui nascenti omnes septem erraticæ in dignitatibus suis affulsissent: nec tamen perspicuæ fuerunt lineæ in plerisq; manus locis, sed ferè obscuriores. Vidi alium ex Magnatum prosapia, cui nascenti Mercurius, sub Geminorum sidere, in ipso cœli culmine nobiliter steterat: Sed in cuius manu nullam perspicuam signaturam, sed valde obscuram atq; exiguam, hoc tempore eius stellæ locus exhibuisset: Cum tamen illa erratica esset fortis ac fortunata in genesi, & concept⁹ quoq; tempore: Præterea, Horoscopi dominium eadem possidebat, ac Novilunij, nativitatem proximè præcedentis, insuper rectoratum. Iam unde eius stellæ potestas ac dominatus, tunc non obscure vigens, fuerit impeditus, quæritur. Iterum quæri potest, quî fiat, quod aliquando diversitas conspiciatur linearum principalium in ambabus manibus: Vidi ego, epaticam dextra manus in aliquo adhæsisse lineæ Vitali: Sed in sinistra, fuisse eandem remotam à Vitali, notabili spacio: quod etiam in praxi nostra alicubi attigimus.

De his sciendum, à semine parentum magnum non raro impedi-

mentum,

mentum obijci superioribus commotionibus. Aliam profectó semen parentum conditionem recipit, concorditer viventium ac temperanter: aliam veró in discordia aut anxietatibus; præsertim circa conceptionem. Præterea in utroq; parente est exemplar quoddam imaginationis macrocosmi, utrinq; varias impreßiones hinc inde recipientis. Ideoq; quando aliter est affecta imaginatio maioris mundi circa conceptum, aliter vero patris atq; matris, necesse sane est, discrepantiam aliquam hinc suboriri. Sed & maternæ imaginationis impreßio quantum poßit, partu iam instante, vulgariter notum est. Tam causarum omnium investigatio latet abstrusa. De ijs tamen, apud quos utriusq; manus lineæ duplici facie conspiciuntur, non aliter statuere ac pronunciare possumus, quam esse eos ad duplicem fortunam dispositos atq; proclives, in utranq; partem.

Finem tandem huic nostro tractui imponentes, viros eruditos probé rogatos volumus, ut quæ illis cognita sunt in Chiromantia, usuq; ipso explorata, nostris ea benevolè adijcere non recusent. Fateor, me in praxi alicubi mihi ipsi non satisfecisse: scio, quibus experientiæ copijs mihi sit opus ad absolutam praxin: scientq; id alij quoq;, tale quippiam exarare tentaturi. De anima mundi, & quæ huc pertinent, aliquid subnectere par fuit, tum ne incerta per incerta explicari ac confirmari, quidam temerè proclamarent; tum etiam, ut cœlestium in terrenis hisce lithurgiam & ignorantes & simul deridentes, aliquomodó commonefaceremus, multa paucis compræhendentes, quo exordio gressus firmandi sint in Philosophia, sincera quidem illa, DEO grata, à sacris literis minimé aliena. Vide Lib. Sapientiæ Cap. 7. ac 13. Apud quos cœlestium lithurgia ab hisce inferioribus manet seiuncta, næ illi Philosophiæ lolio victitant. Persuasum habebo, fore, ut lector scius

 atq;

atq; ingenuus huic primo meo conatui faveat. Secus si fit, satis mihi est, censuram sobriam me reportasse apud Consultiss. illos saltem viros, quibus hoc scriptum obtuli: cuius professionis tamen homines alij hæc ipsa á se aliena reputant. Cum inscio ac malevolo mihi negocij nihil.

FINIS.



ERRATA.

Pag.
In præfa. A. 2. fa. 2. lin 4. lege, & in infimis.
2. fa. 1. li. 12. ferientem.
5. fa. 1. lin. antepenultima cauda.
6. fa. 2. lin. 4. in Saturni monte.
8. fa. 1. lin. 16. dele, &,
9. fa. 1. lin. 5. á fine, inexercitatis.
11. fa. 2. li. 3. violentæ.
12. fa. 2. li. 1. domiciliorum.
13. f. 1. li. 3. interijce, exhibens.
14. f. 1. li. 4. tertia
15. f. 1. li. 13. Cap. 37.
20. f. 1. li. 7. à fine, turbans.
22. f. 2. li. 1. interstitio. Ibid. li. 3. (quidem per eiusmodi lineam incestũ vaticinantur) ad colon lin. 5. repone.
25. f. 1. li. 15. petitæ.
26. f. 2. li. 4. illo.
27. f. 1. ultima in Martis cavea.
Ibid. f. 2. li. 3. angularis.
32. fa. 1. li. 4. pro eius l. Veneris.
Ibid. dele lineam quintam ac sextam.
35. fa. 1 li. 4. à fine, interijce, (accommodationes aliquas)
36. f. 2. li. 13. aspectu♀.
Ibidem li. 19. clarissimis.
37. f. 2. li. 2. interijce, vario♀
Ibidem lin. 19. facie.
39. f. 1. li. 17. proclinant.
40. fa. 2. columna priori: lin. 24. l. Trig. ☉ 8. 0. Libr.
42. f. 1. li. 9. sequiturq;.
Ibidem lin. 16. Accedit.
43. f. 1. lin. 8. calidiusculam.
Ibidem lin. 27. humana.
44. f. 2. lin. 10 & 11. l. Quanto igitur totum parte perfectius est, tanto mundi corpus perfectius est singulorum animantium corpore.
46. li. ultima, sit.

